



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)




85

Th. 2685.

K 111

21





VITA
IOANNIS
BERCHMANNI
FLANDRO-BELGÆ
RELIGIOSI
SOCIETATIS IESV:

ITALICE SCRIPTA

A P. VIRGILIO CEPARIO,

LATINE REDDITA


A P. HERMANNO HVGONE,

VTROQ. SOC. IESV SACERDOTE.



Collegij Societatis IESV Paderbornæ 1636.
ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXX.



ILLVSTRISSIMIS
BRABANTIAE
ORDINIBVS.

BISNAGARENSI apud
Indos Regulo annum
ex odoribus floribusque
vectigal pendi solitum
accepimus, non contemnendo
quinque millium aureorum pre-
tio aestimatum. Religiosæ iuuen-
tutis nostræ Florem illum, qui
hoc in Libro, veluti quodam viri-
dario, natiuis virtutum suarum
coloribus amœnissimè vernat, &
Angelicæ vitæ gratissimum odo-
rem longè lateque diffundit, Vo-
bis, ILLVSTRISSIMI ORDINES,
* 2 quo-

quodam quasi officij tributo of-
ferendum putauimus. Et quidem
in Brabantiâ vestrâ Diesthemij
natus educatusque, ad Vos potis-
simùm pertinebat. De pretio nihil
attinet dicere: auro aureisque om-
nibus Virtus præstantior, infra se
despiciet etiam omnes Indiæ gem-
mas. Pretiosissimum hoc tribu-
tum est, quia flos est camporum
Elysiorum. Quamquam, quid flo-
rem dicimus? Ah! imaginem tan-
tùm repræsentare licet illius, de
quo illud Principis Poëtæ non
sine gemitu occinatur:

*Ostendent terris hunc tantùm fa-
ta, neque ultra*

Esse sinent. —

O delictum! ô dolor! ficcine ver-
num illud floridumque decus
san-

sanctitatis ostensum nobis tantum esse, non datum? vix conspectum, & ilicò sublatum ex oculis? Ita nempe exostulare Societas nostra poterat, & piè queri, *Joannem* illum, Beniaminum suum, immaturâ morte ereptum, nisi maturam eius vitam nouisset, quam summa gratiarum virtutumque perfectio absoluerat. Et audiebat ex Romano Philosopho Marciam solante, quod casum hunc doloremque tantisper recrearet. *Filium tibi* (inquit ille) *Dij immortales non diu daturi, statim talem dederunt, qualis diu effici potest.* Mittamus mortales deos, atque ita statuamus: Deus immortalis, filium hunc non diu daturus, statim talem dedit,

dit, qualis diu effici potest. Per-
git Philosophus : *Quidquid ad
summum peruénit, ad exitum pro-
perat. Eripit se aufertq̄, ex oculis
perfecta virtus ; nec ultimum tem-
pus expectant, quæ in primo matu-
ruerunt.* Talis flos ille noster: ra-
pere illum cælum maluit, quàm
expectare. Et rapuit in vere qui-
dem annorum, sed in autumnò
virtutum. Maturus erat: & quia
flos erat, suum Paradisus florem
repetijt, vmbra eius odorem-
que terris reliquit, vel ad memo-
riam nominis, vel ad illecebram
virtutis. Atque vt latiùs odor ma-
naret, quod de eo iam antè Ita-
licè conscriptum erat, P. Her-
mannus Hugo Latinè reddidit:
sed postumus is eius partus fuit,
præ-

præmaturè nuper in castris Re-
gijs extincti. Quare velut orbum
parente pupillum ad Vos, P A-
TRIAE PATRES, eum deferimus,
atque in sinu vestro deponimus,
liberali fidoque Religiosorum
asylo. Experta id nostra Socie-
tas in Brabantiâ vestrâ, ac cum
primis in hac vrbe nobilissimâ,
cùm extinguere nomina ne-
queat, quibus obstricta Vobis
est; mauult sic gratiam debere,
quàm reddere. Ecquid enim?
Reddere parem non potest. Si
quam tamen mutuari aliunde
ad solutionem potest, ab Superis
sibi statuit mendicandam. Inde
igitur ab *Joanne*, æterni veris non
ignobili flore, inde ab Cælitibus
ceteris obnixè petimus, vt in

* 4

Vos,

Vos, patriamque hanc nostram,
Ver Arabum Ciliciumque fluat,
floresq; Sabæi:

imò vt fauoris Diuini Fauonij
eam fecundam reddant floridam-
que, ad dignos æternitate fructus
proferendos. Bruxellæ, v. i. Kal.
Mart. M. D. C. XXX.

ILLVSTR^{MIS} DD. VESTRIS

obstrictissimum

Collegium Soc. IESV.

P. M V-

P. MVTII VITELLESCI
PRÆPOSITI GENERALIS
SOCIETATIS IESV
DE IOANNE
TESTIMONIUM.

FELICIS memoria frater
noster Joannes Berch-
mannus, iuuenis reuera
fuit innocentia ac puri-
tate insigni, Angelicis moribus, pie-
tate admirabili, virtutibus solidis ac
perfectis; Instituti nostri regularumq;
seruantissimus; omnibus qui um-
quam cum eo sunt versati, quocum-
que tempore aut loco, per quamcum-
que occasionem, summi semper exem-
pli: adeo ut neminem repererimus, qui

* 5 um-

umquam in eo deprehenderit vel mi-
nimum defectum, aut imperfectionem. Has ob res speramus, hanc Vitæ
eius historiam (quam ego uniuersam
diligentissimè legi, quæq; plena est vir-
tutum actibus, usq; proprijs Alumno
Societatis singulariter obseruanti ac
perfecto) allaturam esse omnibus qui
eam lecturi sunt; sed præcipuè Patri-
bus nostris, Fratribusque, in signe spi-
ritus adiumentum, & calcem acqui-
rendæ perfectionis Religiosæ. Et po-
test sanè quilibet securus esse eorum,
quæ de virtutibus ac caelestibus orna-
mentis, alijsq; rebus eius omnibus, in
hac historiâ referuntur: nam ego ipse
benè longum vidi catalogum viro-
rum eruditorum, grauium, sapien-
tium, timentiumq; Deum, qui certâ
scientiâ hæc testantur, eorumq; testi-
monia

monia ipse perlegi. *Vitam* Domino
placere impertiri nobis gratiam imi-
tandi in hac vitâ (is enim mihi propo-
situs scopus cur *Vitam* hanc scriben-
dam curarim) & in celo deinde fruendi
caelestibus illis bonis, quibus eum
piè credimus modo potiri. **XVIII. Iu-
lij, M. DC. XXV.**

Mutius Vitellefcus.



LIT-

LITTERÆ
P. VIRGILII CEPARII
SOCIETATIS IESV
AD
REV^{OS} PATRES FRATRESQ.
FLANDRO-BELGAS
EIVSDEM SOCIETATIS
QVIBVS
MENTEM SVAM EXPLICAT
OPERISQ. ARGVMENTVM.

PLACVIT *Divina Maie-*
stati, Patres Fratresque in
Christo, eripere nobis, sibi que
vindicare è Collegio Romano
anno M. DC. XXI. vestrum, nostrumque, piæ
felicisq; memoriæ Fratrem, Ioannem Berch-
mannum, in quem reuerà quadrare pos-
sunt illa Sapientis verba: Placens Deo
factus

Sap. 4.

factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus est. consummatus in breui expleuit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius. Etenim breui illo aetatis viginti duorum annorum ~~et~~ dimidij spatio (è quibus quinque non integros in Societate vixit) ad eum attingerat perfectionis terminum, vt in pudibundam quamdam mœstitiâ sanctâque emulationem exstimularet etiam seniores qui eum intuebantur Patres; iuniores verò & sodales, qui eo & familiariter vtebantur, & rara illa virtutum omnium exempla, quæ omnibus exhibebat, tamque accuratam, disciplinæ, quâ viuebat, obseruantiam animaduertebant, ad religionem imitationemque excitaret. Primi illi surculi crescentis adolescentiæ argumēto esse poterant, qualis futurus esset splendor ac claritudo aetatis perfectæ, quantâque promitteret fructuum vbertatem felix illa animi plantâ, iam tum tot odoratissimis virtutum floribus

ribus

ribus referta, pulcherrimèque adornata.
Hac re, communis nobis omnibus fuit illius
molestiæ sensus, quam attulit mors eius im-
prouisa, cum illum quasi inopinatò oculis
nostris eripi vidimus, sanctà eius suauissi-
maque consuetudine perpetuùm orbatì. Ne
verò iniurià temporum excideret Angelici
huius adolescentis memoria, qui tanto inter
nos exemplo atque approbatione vixerat,
utque beneficio posteritatis extaret in So-
cietate rerum ab eo laudabiliter gestarum
notitia; R^{mus} Adm. P. Mutius Vitellescus
Ordinis nostri Præpositus Generalis, mihi
in mandatis dedit, isthinc è Flandro-Belgio
ut peterem necessarias instructiones; hinc
verò eas conquirerem, inque Vitæ histo-
riam conflarem. Comparatis omnibus hanc
in rem necessarijs, ad scribendum aggressus
sum, intereà dum Collegio præessem Rector:
at mox animaduerso, fieri omnino non posse,
ut tot simul par essem administrandi mune-
ris negotijs, simulque inuigilarem historiae
scriben-

scribenda, coeptum opus in tempus aliud,
locumque maioris quietis, distuli absoluen-
dum. Jam, quando post alios praeterea labo-
res, hunc etiam diuinâ ope exhausti, ad vos,
quibus meritò debetur, mitto: quippe inter
quos, eâdem patriâ adolescens ille natus est,
atque à vobis Romam ad Philosophiæ Theo-
logiæque studia, in hanc Societatis Acade-
miam allegatus. Narratio brevis erit, ut
brevis quoque aetatis illius fuit cursus: sty-
lus, pro more meo, simplex, naturalis, omnis
artificij expers. Nemo umquam dubitare
de historiae veritate poterit, cum centeni
centenique etiamnum viuant, qui viuum
cognouere: qui verò in Belgio & Roma
familiariter eo vsi sunt, res eius ita habent
exploratas, ut semper, quoties vsus erit,
certissimum ei testimonium sint daturi.
Præterquam quòd ego, qui unam Dei glo-
riam, honoremque fidelis eius serui Ioannis
propositum habeo, grauissimum ducerem
lesæ diuinæ Maiestatis crimen, si vel tan-
tillum

tillum à vero recederem ; cùm sciam ampli-
ficationibus celebrationibusque nostris Deo
opus non esse , ut mirabilis ac gloriosus ap-
pareat in seruis suis .

Tripartitò diuido hanc narrationem .
Priore parte describo eam quam in Flan-
dro-Belgio duxit vitam , ab incunabulis
exorsus ad usque Tyrocinijs finem . Alterâ,
complector id omne tempus , quod à suo è
Belgis discessu studijs impendit in Collegio
Romano , usque ad ultimum eius mor-
bum . atque hîc intelligetur , quemadmo-
dum non solùm tenuerit constanter cœptam
illam in Belgio vitæ laudatissimæ rationem ,
verùm etiam auxerit deinde , magnis quâ
virtutum quâ sanctitatis perfectionisque
incrementis . Tertia pars continebit mor-
bum eius ac mortem , quam minutatim de-
scripsi , ut vobis præcipuè , qui eum dilexi-
stis , placerem ; sciens id esse amantium , ex
S. Thomæ Angelici Doctoris sententiâ , non
acquiescere leui aliquâ cognitione , sed per-
fectâ

1.2. qu. 28.
art. 2.

festâ rerum omnium scientiâ, quæ spectant
ad amatum, instrui velle: eaque re, narro
etiam minima quæ in dies, in horas, adeo-
que in momenta ferè singula contigere. Ad
calcem subiungam res nonnullas litteris ab
eo commendatas, quæ, instar quartæ cuius-
dam historiae partis, nec ingratae nec inuti-
les erunt, uti spero, adolescentibus nostris.

Quaecumque priore Parte narrantur,
summâ isthuc fide collecta sunt à P. Antonio
Sucquetio, per id tempus Praeposito Pro-
uinciali, & à P. Guilielmo Bauters, tum
Rectore Collegij Louaniensis: quorum vter-
que, anno uno singuli, eius fuere in Tyro-
cinio Magistri, qui que praeter earum rerum
scientiam quam haurire potuere conscien-
tiam eius tractando, ampliùs etiam homi-
num fide dignorum testimonia collegerunt.
Res in Collegio Romano gestae, praeterquam
quòd propriâ mihi scientiâ exploratae sint,
utpote qui praesens eas, aut ab ipsomet in
tabellis complicatis scriptas (in quibus ad-

* *

mira-

mirabili diligentia, diebus singulis, actus
factaque sua adnotabat) repererim, aut à
Patribus Fratribusque Collegij scriptas ac-
ceperim: quorum multi iam, etiam iurato
testimonio, Romæ, apud sacros Quæsitores
de eius sanctorum miraculisque Grego-
rij XV. mandato cognoscentes, eas affir-
marunt.

Non erit hæc historia referta prodigijs,
visionibus, vaticinijs, prædictionibus, que
vulgò populum attonitum suspendunt; quia
Superiorum obsequentia in præsens eas res
prætermitto. Neque etiam spectabitur in
illo insolita vitæ asperitas, sed actus solum-
modò perfectarum virtutum, quos quilibet
imitari possit. Atque hi, à sapientioribus Re-
ligiosorum Ordinum cultoribus, tantò habe-
buntur admirabiliores, quantò difficilius
opere ipso exprimuntur; vt benè observa-
tum Scriptori Vitæ B. Laurentij Justinia-
ni: qui cum de eo narrasset, quemadmodum
Sanctus ille vir voluntariæ sitis patientiâ
sefe

sese cruciasset; acerbum perpetuò frigus tole-
 rasset, ad ignem numquam accedendo pro-
 pius; numquam ingrediendo hortum, aëris
 se purioris haustu recreasset; assiduè rectus
 stetisset in Choro, nullâ re vîquam nixus;
 hæc verba adiungit: Videbuntur inexper-
 tis hæc res exiguam mereri admirationem;
 sed vos ô præclari Pugiles Christi, qui
 quotidie facitis experimentum, iudicabitis
 profectò, factò quàm dictò eas esse admira-
 biliores. Certè Ludouicus Blossius, assen-
 tiente sibi grauium Scriptorum turbâ, di-
 cere non veretur; Illum Deo longè facere
 gratiùs, qui, minimis licet in rebus, sui ipsius
 domitor euadit ac victor, quàm qui multos
 in vitam reuocat mortuos. Ac quando semel
 de minimis rebus incidit mentio, videor non
 abs re hîc illud præmoniturus; à multis vi-
 tio mihi versum iri, me in hanc historiam
 contulisse res actûsve nimiùm tenues, aut
 nimis etiam Societati toti vulgares: perin-
 de atque id sit aduersus decorum peccasse,

Iulius Fa-
 tius de
 Mortif.
 Iacobus
 Alu. t. 2. l. 2.
 p. 1. c. 16.
 Iul. Nigro-
 nius tract.
 de Curâ
 minimo-
 rum.

in historia grauitatem, præceptaque profa-
norum Auctorum. At eam ego censuram
neque à sacris Scriptoribus, qui de vsu ipso
trastationeque scribunt, neque à spiritua-
lium rerum Magistris reformido. Si Ioan-
nes in magnam peruenisset ætatem, grauia-
que munera administrasset, referre vtique,
qualem se ijs cum virtute perficiendis præ-
stitisset: at quoniam in ipsa adolescentiâ est
extinctus, omni que ferè vitæ tempore la-
tuit abditus intra Religiosæ domus parie-
tes, sibi vni intentus, & communem no-
biscum ducens vitam; non possum de eo nisi
illos quos apud nos virtutum perfectionis-
que actus exercuit, commemorare, qui que
illam ætatem ac status sui conditionem ad-
decebant; neque aliud existimo ab Historia
scriptore desiderari.

Non erant apta puerilibus Pastorculi
Dauidis humeris ingentia Saulis Regis ar-
ma; impediebant potiùs ne bello habilis esset,
quàm tutum eum promptumque præsta-
rent:

rent: quare pedes, & instructus pastorali
fundâ, stravit gigantem armatum; magisque
illius nudi virtus, quàm Saulis armis tecti
(quem validus atque ad iussa promptus
circumstabat exercitus) commendata iacta-
tio fuit. Sacræ Litteræ depingentes mulie-
rem fortem, non eam faciunt exercituum
duëtricem, aut Herculeorum domitricem
monstrorum; sed committunt eius manibus
linum & lanam, colum ac fusum: res nempe
tractabiles nationi feminarum, ut sunt fila,
nendiq; certamen. Atque etiamsi non aliud
fecisse referatur, quàm digitos adhibuisse
filo, & colui manum, affirmant nihilominus
rebus magnis manum admouisse, cum aiunt:
Manum suam misit ad fortia. Hoc ip-
sum nimirum quod nostrâ sententiâ vile
adeò est opus, à Spiritu sancto aestimatur
magnanimum illud facinus, quo uno cele-
brat mulierem fortem, aitq; nullam eius
meritis dignam esse mercedem: Procul &
de vltimis finibus pretium eius.

* * 3

Quo-

Quomodo igitur non aestimabimus nos, si
adolescens aliquis tyro, aut studiorum Socie-
tatis alumnus, pro magno ducat ea quæ ad
Tyrocinium aut studia pertinent, magnâ
exequi curâ ac perfectione? Quis audebit ut
minimos actus vilipendere, quos Deus eter-
næ gloriæ pretio compensatos, subinde etiam
prodigiorum indicio gratissimos sibi esse de-
monstrat? Quæ vilioris pretij res, quàm
aqua scyphum præbere? promittit tamen
Deus immensam mercedem illi qui sui amo-
re vel aquæ scyphum erogarit. Quid leuius,
atque mensarum micæ manu colligere? sci-
mus tamen ingentis miraculi approbatione
gratissimum Deo id factum accidisse, qui
viles illas miculas vertit in pretiosissimas
margaritas, quibus sacer templo calix ad
aternam memoriam deinde adornatus fuit.

Surius in
Vitâ Odi-
lonis, 28.
Nou.

Sed ut omittam cetera, adducor tamen
exemplo Scriptorum veterum, qui Sancto-
rum hominum vitas prodidère: quibus nihil
antiquius fuit quàm res quoque eorum mi-
nimas

nimas persequi stylo. Nesciremus profectò
hoc tempore, notatum olim fuisse Abbatem
Arsenium, quòd inter sedendum, pedem
unum alteri imposuisset; eaque de re Mo-
nachos anxie ad concilium retulisse, quo po-
tissimum modo eam viri culpam emenda-
rent: ignoraremus, quàm grauiter adolescens
sanctus Dositheus à Magistro suo beato Do-
rotheo reprehensus, ob indicatum affectum
aliquem amoris cultello cuidam affixum,
quando Superioribus suis dixit; videri sibi
cultellum illum, quia acutus esset, idoneum
maximè nosocomio fore, ad secandum agro-
rum panem: fugerent nos denique res multæ
similes, nisi historiarum Scriptores eas com-
memorassent. Ego autem in eo me esse Reli-
gioso Ordine intelligo, in quo (quæ Dei gra-
tia est) res parvæ, seu in bonum seu in ma-
lum, magni ducuntur, vt absoluti perfecti-
que Religiosi efficiantur. Et S. Ignatius, Au-
ctor Ordinis nostri, tanti res etiam exiguas
fecit, vt in Modestiae regulis certa det præ-

* * 4 cepta,

cepta, quemadmodum nos deceat tenere aut mouere caput, frontem, oculos; nasum, labia, manus, pedes, vestem denique, totumque corporis habitum moderari. ad quas minutissimas res descendunt Viri sancti, ut hominem faciant omnibus numeris perfectum.

Liceat mihi ad extremum referre rem quæ & nostris erit consolationi, & certius mentem meam confirmabit. Dositheus iam semel dictus, adolescens domi nobilis, insigni oris specie, tenerâ corporis constitutione, lautè delicioseque educatus, cœperat languidis se dare voluptatibus, & vitam in sæculo proijcere ad licentiam: sed visâ aliquando pietâ in pariete Inferorum imagine, nescius quid ea portenderet, cùm ad id temporis, neque Dei verbum audiisset, neque vllâ fidei cognitione esset imbutus, sed prorsus rerum omnium diuinarum ignarus; miraculo etiam edoctus est pœnas illas quas post mortem damnati luunt. Eâ re consternatus,

natus, in Monasterium salutis se causâ con-
tulit; traditusque beato Dorotheo in disci-
pulum, ad insignis obedientiæ simplicitatis-
que formam ab eo eruditus fuit. Quinto
circiter anno sanguinem spuerere cœpit; Et
iam extremo vitæ periculo proximus, cum
à Barsanusio Abbate benedictionem, vi-
taque missionem petisset, is ei respondit:
Vade fili & siste te Sanctissimæ Tri-
nitati, & Deum pro nobis deprecare.
Quibus verbis qui aderant Monachi non
modo percussi, verum etiam offensi, inter
se dicere: Hæcine verba sunt quibus ido-
neè iuuenis aliquis confirmandus erat, qui
vix quinquennio nobiscum vixit, antea-
que licentissimam vitam in seculo egit? De-
inde, quid, amabò, præclarè ad eò inter nos
gessit, quo fretus rectà ad Sanctissimam Tri-
nitatem tendere audeat, pro nobis oraturus?
Numquam ille in ediam, vt nonnulli no-
strum, in biduum extraxit. Non solitus est
extra ordinem vigilare, quin imò nec pri-

mus vulgò ad precandi officium conuenire.
Non fuit mirificè, quantum alijs, in commen-
tationum studio deditus : si sorbitiuncula
aut pisces agro apponebantur, ijs vesceba-
tur: quomodo igitur pro nobis oraturus pro-
ficiſcetur? Attamen quamprimùm spiritum
exhalauit, Deus, vt merita eius illustraret,
Monachorumque illorum fastidium depri-
meret, videndum illum obtulit ſancto cui-
dam eius loci ſeni, glorioſum, beatum, æqua-
lemque ſplendore ſanctiſſimis illius Mona-
ſterij Anachoretis vità ſunctis, in eorum
cœtu pari gloriæ gradu confidentem. Intel-
lexerunt denique Monachi admoniti erroris
ſui, tantorum meritorum cauſſam fuiſſe,
quòd obedientiæ ſtudio inuictus, nihil um-
quam feciſſet arbitrio ſuo, ſed aſſiduè mo-
rem geſſiſſet Magiſtro ſuo Dorotheo, quem
Dei ſcilicet loco duxiſſet; etiamſi cetera ne-
que aſperitatibus, neque orationibus, neque
vigilijs insolentioribus ſeſe afflixiſſet.

Aio igitur in rem noſtram : Ioannes non
deuius,

deius, sed rectam viam insistens, adolescentulus Societatem ingressus est: in qua vixit annis quinque ut Dositheus, mortuusque est non sine sanctitatis fama. Placuit Deo, post mortem, visis miraculisque (ut post referetur) gloriam quam in caelo nactus est, ostendere, atque his etiam in terris celebrare: quæ res nobis senibus, qui vitam ætatemque in Religiosâ familiâ consumpsimus, admirationem parit. Si causam inuestigamus, cur Deo placuerit hoc modo illius gloriam propagare, qui numquam (quod nos quidem sciamus) pœnis ullis, orationibus, operibusque extraordinarijs ceteros superavit; necesse est hanc esse causam pronuntiemus, quòd communi in vitâ legum omnium mandatorumque fuerit seruantissimus, volueritque Deus hoc indicio communem vitam nostram mirificè approbare. Vnde & tria ista conficio: Primum; magnam esse illam Instituti nostri gloriam, de quo dici possit, per se, si ritè seruetur,

uetur,

uetur, sufficere, vt hominem adducat ad fastigium sanctitatis, faciatque participem gloriae Dei, re nullâ extraordinariâ accersitâ. Alterum; magnam esse felicitatem nostram, qui in eâ Religione viuimus, cuius solius legibus, communiq̃ tuendâ disciplinâ in viros sanctos euadere possimus. Tertium; si via ad Sanctimoniam indispensandam, est communis illa vitæ legumq̃ perfectâ obseruatio, qualis in Joanne enituit, prorsus esse è re nostrâ, scire minutatim quo ille modo eam tenuerit, vt certius imitari queamus. Has ob res existimaui, è gloriâ Dei, laudèq̃ præstantissimi huius Adolescentis, ac bono hominum Societatis nostræ facturum, si historia huic minimos etiam eius actus insererem. atque vt ego id sciens prudensq̃ mente optimâ feci, ita Deo probatum iri spero, facturumq̃ compotem fructus in hac vitâ, & in alterâ præmij, per suam erga me miserationem.

Acci-

Accipiant RR. VV. hoc quantulum-
cumque laboris, in signum ac tesseram ob-
servantiae atque amoris in se mei, Deum-
que mihi propitient sacrificijs & pre-
cibus suis. Romæ Idibus Augusti,
M. DC. XXIV.



AP-

APPROBATIO CENSORIS.

VITAM IOANNIS BERCHMAN-
NI Societatis IESV Religiosi, non sine
magno pietatis fructu in lucem proferendam
censeo.

P. Coens S.T.L. Canonicus
& Lib. Cens. Antwerp.


FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGO *infrascriptus Societatis IESV in Pro-*
uinciâ Flandro-Belgicâ Prepositus Prouin-
cialis, potestate ad id mihi factâ ab admodum
R. P. N. Mutio Vitellesco Preposito Generali,
concedo Balthasari Moreto Typographo Ant-
uerpiensi facultatem typis mandandi Vitam
IOANNIS BERCHMANNI Flandro-
Belgæ Religiosi Societatis IESV, Italicè scri-
ptam à P. Virgilio Cepario, Latinè redditam à
P. Hermanno Hugone, utroque Societatis IESV
Sacerdote. In quorum fidem has litteras manu
meâ subscriptas, & officij mei sigillo munitas,
dedi Bruxellæ II. Februarij M. DC. XXX.

Iacobus Stratius.



IOANNES BERCHMANNVS SOC. IESV
NATVS DIESTHEMII XIII. MARTII M. D. XCIX.
DEFVNCTVS ROMÆ XIII. AVG. M. DC. XXI.



1000
1000

VITAE
IOANNIS BERCHMANNI
FLANDRO-BELGÆ
RELIGIOSI SOC. IESV
PARS PRIMA.

De ortu, educatione & vitâ Ioannis
in Belgio acla.

IOANNES BERCHMANNVS, *Patria & natalis Ioannis.*
 pia felicitque memoria, Diesthemij in Belgis, Brabantia opido, natus est I I. Idus Martias anni M. D. XCIX. qui Sabati dies erat, Virgini vtique Matri sacer. *Baptismus.*
 Baptismi mysterijs initiatus Dominico sequente, pridie Idus mensis eiusdem, sponforibus appellatis Adriano Claesio & Gertrude Steyuortâ, à quibus ei nomen IOANNIS inditum *Nominis occasio.*
 fuit: siue quòd idem esset & auitum & paternum nomen, siue quòd id filio imponi optaret mater, religione quadam nominis sui, quæ Elifabeth (vt Ioannis Baptistæ mater) vocabatur. Parentes ei fuere moribus conditioneque honesti, opibus tenues, sed virtutibus *Qui qualesq; parentes.*
 A bus

*Quæ eorum
soboles.*

*Mater se-
ptennio
agra.*

*Pater, vxo-
re mortuâ,
Sacris ini-
tiatur.*

*Indoles Io-
annis in-
fantis.*

*Primus
pueritia
cultus.*

*Sanctitatis
futura ar-
gumenta.*

bus cælestibusque bonis, quàm fortunæ fa-
cultatibus, affluentiores. Liberorum, quos
quinos propagarunt, mares nempe quatuor,
femellam vnã, Ioannes natu maior fuit.
Eius mater Elifabetha Houia, femina non
minùs pietate, quàm constanti septennalis
morbi tolerantia nobilis, extremũ vitæ diem
clausit Pridie Calendas Decemb. anno 1617.
quo tempore Ioannes Societatis IESV tyroci-
nio Mechliniæ erudiebatur. Eius pater Ioan-
nes, defunctâ vxore, sacris se commentationi-
bus exercuit Louanij in Collegio Societatis,
mox Sacerdotio inauguratus, Canonicatũ in
S. Sulpitij (Æde Diesthemij principe) est ade-
ptus. De Ioanne commemorant (quod ar-
gumentum indolis futuræque bonitatis esse
possit) numquam in infantia fleuisse; num-
quam matri, aliisve qui eum educabant, fuisse
grauem; ne tum quidem, cum suum infantis
caput faciesque è scabie duxisset crustam.
A paruis cœperunt eum parentes in ludum
litterarium mittere, vt perinde, atque ipsi pue-
ritiam eius religione Christianisque virtuti-
bus domi erudierant, ita in scholis Magister
adolescenciam eius primis Grammaticæ ru-
dimentis informaret. Annorum septem natu
erat, cum auia aduertens puerum se multo
semper manè eripere lectulo, interrogat, ec-
quid ita sollicitus sit. Tum ille apertè, se binis
ternis-

ternisve Sacris prius ministrare respondit, quàm ad ludum iret, ut benè sibi studia ver- tant. Quantumuis puer, numquàm rem vllam puerilem designavit, sed instar alterius cuius- dam Tobiaè, gravitatem, quam animo tene- ro præceperat, semper præstitit. A scholis do-

*Specimen
sanctitatis.*

num reuersus, si fortè pulsata diutius ianuam excluderetur, non ille impatientius aliorum puerorum more strepitum machinari, sed se- nili quadam maturitate in vicinam ædem Rosarij persoluendi causâ abire consuèrat. Cùm ægra mater annorum aliquot inualetu- dine teneretur, ipse necdum nouem annorum puer, verbis eam tam concinnis, tam apposi- tis, tantoque affectu plenis consolari insti- tuit, ut attonitas haberet circumstantium au- res. Decennium ingressus, præstabat iucun- dà quadam acceptissimaque oris formâ, ac tantâ in eo comitas ex vultu, gestu, sermone, consuetudine eminebat, ut iam tum inde ho- nestissimi quique, egregiâ pueri festiuitate ca- pti, eum sibi dari à parente in familiam flagi- tarent. Ac siue ea fuerit pueri hac ætate na- tura siue virtus, non ferebat, vel à sacris Deo Virginibus, vel ab feminis vllis, virisve (ne vestium quidem suarum, dum dissutæ es- sent, sarcendarum causâ) sese attrectari.

*Pietas in
matrem
ægotam.*

*Forma &
pudicitia
concordia.*

Puer annorum decem alteri Magistro à pa- rente commendatus, tantos in Grammaticæ

*Progressus
in litteris.*

studijs habuit progressus, vt breuî & post se relinqueret æquales, & reliquos, qui ætate scientiaque præcallebant, assequeretur. Vel semel rem aliquam audiuisse, vel legisse, vt eam memoriâ retineret, retentamque memoriter pronuntiaret, id scilicet satis Ioanni erat; ita in memoriâ eius vel leuiter lecta auditaque infidebant. Hanc ob rem cum Magistro tam esset charus, vt prodigij instar eum ipse celebraret, alijsque proponeret in exemplum; nonnumquam ita ab eo apud patrem est collaudatus, vt is gaudio perfusus, & Clerici veste Ioannem (quam diu ille optauerat) prætextæ instar honoraret, & in contubernium traderet D. Petro Emmerico Præmonstratensi Religioso, Templi beatæ Virginis Diesthemij per id tempus Curioni, qui plures domi iuuenes erudiebat, cuius conuictu Ioannes triennium deinde vsus est. Ad eò se ad obsequium huius Religiosi fingebar, vt eum parentis loco veneraretur, eiusque lateri perpetuò affixus, vix ad parentis domum, etsi haud longè distâtem, nisi perrarò, digrederetur. Et verò iam tum, quantâ solitudinis dulcedine caperetur, apparebat; cum & subinde colludentium collegarum circulis dexterè subduceret sese, abderetque in Museum ad legendum aut orandum; planè vt sæpius Moderatores duxerint eum cubiculo extrahendum

*Memoria
felicitas.*

*Quo contu-
bernio al-
tiss.*

*Obsequendi
studium.*

*Amor soli-
tudinis.*

hendum in lufum, ne studio orationibusque crebrioribus mentem fatigaret. Neque tamen sodales, quibus iucundissimus erat, si secum non luderet, offendebantur; quòd & virtutem eius nossent, & ob sanctitatis studium abstinere eum lusu existimarent.

Attigerat vndecimum ætatis annum, cum per occasionem Festi cuiusdam solemnis verentis, deliberare cœpit Ioannes de adeundâ, quâ huc vsque abstinuerat, Synaxi sacrâ; habitaque diligenter in conscientiam quaestione, ad Superiorem adit, rogatum vt peccata excipiat sua. Religiosus ille Curio non leuiter sensit columbinæ illius simplicitatis se candore excitari, præcipue quòd id nemo alius contubernalium fecisset: auditaque confessione, innocentissimum purissimumque eius animum reperit, vt testetur etiamnum viuus incolumisque, dum hæc scribo, dubitasse se tum, satisne suppeteret erratorum, quæ leuem saltem materiem absoluenti præberent; adeò hucusque se procul habuerat omni labe vitiorum. Quòd verò deinceps ad extremum vsque vitæ diem seruarit intactam, puramque omni mortali flagitio prætextam innocentia in Baptismo acceptæ, præterquam quòd confessionum eius arbitri (vti alibi dicitur) asseuerent, ipse quoque testatum schedio scripto reliquit, in quod breuiter, gratitudinis ergò,

Opinio sodalium de Ioanne.

Preparat se ad primam Communionem.

Mentis in Ioanne puritas.

Innocentia baptismalis seruata.

*Certa bap-
tismalis
innocentia
indicia.*

collata sibi à Deo beneficia, his verbis coniecit: *Fecit Christianum socium IESV, amicum, sponsam conseruauit sine peccato mortali.* Atque hæc caussa fuit, cur initio sui in Societatem ingressus, dum spiritualibus primùm exercitationibus coleretur, meditando de peccatis proprijs (quorum reputatione, aliorum obdurata pectora in pœnitentiam, ac dolorem & planctum, pudoremque molliri solent) ipse se aridum siccumque, & omnis expertem motionis sentiret; quod aliàs quoque semper, quoties de peccatis meditando cogitaret, euenisse sibi, scriptum in hæc verba reliquit: *In exercitio de peccatis in sæculo, totus fui siccus & aridus, & sine ullâ commotione.* Et dum iterum Romæ eadem exercitia obiisset, ita scribit: *Succesit sine ullâ prorsus cōmotione.* Cum denique tertium ac postremum sese ijs imbuisset, *Succesit, ait, sine vllō affectu, & in primo & secundo puncto, magnam passus sum desolationem.* Nempe, quod nihil admodum reperiret, cuius, vti diximus, admissi pœnitere, culpamque deplorare posset. Felicem profectò adolescentulum, qui diuino fauore gratiaque nixus, didicerit virtutum ædificium, firmo innocentia in Baptismo datæ fundamento imponere, idemque mox per eos, qui deinde viti sunt gradus, in tantam extruere altitudinem perfectionis! Institutâ, quam diximus,

ximus, confessione, sacram Eucharistiam *Prima Cō-*
 sumpsit è manibus eiusdem Religiosi sui Mo- *municō quā-*
 deratoris, qui Ioannem in eā sanctissimi epu- *tā ab eo cu-*
 li sumptione affirmat adhibuisse interiorem *rā sensuq;*
 quamdam animi collectionem, externam- *pietatis*
 que compositionem planè singularem, atque *obita.*
 etiam spirasse quid nescio maius augustius- *Conseutu-*
 que humano. Et iam inde cœpit continenter *do frequen-*
 expiare sese octonis quibusque diebus; quin- *tius confi-*
 denis autem, festisque Christi ac Virginis *tendi &*
 Matris, animum præterea cælesti pabulo re- *communi-*
 creare. Illud etiam constanter tenebat, ut *candi.*
 quoties Communione reficeret sese, prius Su- *Conseutu-*
 periozem suum culparum veniam oraret, *do frequen-*
 quotidieque temporis aliquid impenderet *tius confi-*
 confessioni proximè instituendæ. Enitebat in *tendi &*
 puerili illâ ætate senilis quædam maturitas *communi-*
 actionum, puero ferè immatura: tantaque *candi.*
 erat sermonis parcitas, ut non nisi interroga- *Maturitas*
 tus responderet, ac tum quoque præfinitò. *puero ferè*
 Præbitione dramaticâ, quâ Susannæ castitas *immatura.*
 edebatur, Ioannes Daniele venustissimâ *Personas*
 concinnitate gessit; aliasque sæpè magno *geredi gra-*
 Auditorum plausu atque admiratione reci- *tia in Dra-*
 tavit. Pacem colebat tam sanctè, ut num- *mate.*
 quam cum aliquo contendere sit auditus: si *Amator*
 verò quâ in domo (ut solet leuior pluma *pacis.*
 apud pueros esse gratia) sodales suos audisset *Amator*
 cum aliquo rixam simultatémve suscepisse,

*Sociorum
in Ioannem
amor &
veneratio.*

*Religio
singularis.*

*Observan-
tia erga
Ordinem
Sacerdo-
tum.*

*Libros su-
per mensam
adhibet a-
uiditate
studiorum.*

ab eorum protinus societate discedebat. A
focijs autem (qui eum in sinu gerebant) non
solum diligebatur, verum etiam in tantâ ha-
bebatur veneratione, vt ab eo se moneri regi-
que perinde permetterent, ac si summam in
eos auctoritatem obtinuisset. Tantum potest
polletque virtus, vbi ad plurium existimatio-
nem dimanauit. Magno sensu concionantes
audiebat, & sacrificantibus ministrabat, ra-
samque in vertice coronam, quamuis plerif-
que Clericorum neglectam, solus fere gere-
bat. Pallij sui collare, cum erectum stare imi-
tatione Sacerdotum eius temporis voluisset;
focius admonuit, vt replicando deprimeret:
ille subridens, rem mediam atque indifferen-
tem esse respondit. Sacerdotibus numquam
adstabat capite aperto. Et quoniam Religio-
sus ille Rector aderat contubernalibus perpe-
tuò ad mensam & focum, ipse numquam, vt
caput operiret, poterat adduci; vixque vel ob-
hiemis asperitatem, teigentibus licet alijs, vel à
Superiore iussus, tegebat. Honorem obser-
uantiamque tantam aduersus sanctissimum
Sacerdotum Ordinem adhibebat. Quamdiu
paternâ in domo pueritiam egit, non tempe-
rauit sibi, quin liber semper aliquis super men-
sâ ad legendum esset præstò. Inter contu-
bernales, dum accumberent, agebat anagno-
sten, delectabaturque maximè aut legendis
Pro-

Prouerbijis sacris, aut Sanctorum rebus gestis,
 aut meditationibus Passionis Christi. Animo
 inter edendum tam erat suspenso, vt focij, per
 facetiam, Peregrinum illum appellarent; &
 certè perexigui semper cibi potusque fuit.
 Suapte ingenio, & non alio quàm doctore
 Deo, id aratis puer meditari didicit crucia-
 tus Seruatoris nostri Christi. Ludentibus so-
 dalibus, semel in ligneam arcam, dimensam
 ad longitudinem staturæ suæ, sese inclusit, la-
 tuitque duabus horis occultus; quæ res cum
 animum Superiori alijsque aduertisset, id aliàs
 sapius ab eo factitatum, secretæ commenta-
 tionis studio, crediderunt. Consueuerant huius
 contubernij alumni omni vesperâ, appetente
 nocte, præsentè Superiore orationes aliquot
 contentâ recitare voce, nec prius cubitum in
 conclaue concedere, quàm petita apprecatio-
 ne. Ioannes, vt oraret scilicet diutius, & cete-
 ros anteuertebat, & sapius, non detractis ve-
 stibus, super lectulum se coniecisse comper-
 tus est. Ferebatur hoc tempore præcipuè in
 beatissimæ Virginis amorem, & quoties cum
 Superiore suo in Collem-asperum (qui horæ
 itinere Diesthemio abest) ad eam salutan-
 dam ibat, silentio incedebat meditans, nu-
 meransve Rosario preces: sæpissimè verò in
 domus angulos dispersa abditaque ientaculi
 frustra reperta sunt, quibus ille, in gratiam

*Solo Deo
 doctore di-
 scit medi-
 tari Passio-
 nem Chri-
 sti.*

*Studium
 orationis.*

*Affectus in
 B. Virgi-
 nem.*

Obedientia & diligentia in studendo. Virginis, genium suum defraudarat. Sic dicto audiens, sic studijs erat addictus, ut vix aut à Superiore aut à Magistro fuerit vel leniter inflectendus, nedum reprehendendus; quæ omnia iuratus affirmat Superior eius

Testimonia Moderato- ris & Magistri. P. Petrus Emmericus. Amplius verò, is quo Magistro utebatur, magnas addit ingenij eius ac docilitatis laudes, sed multò maximas morum, Christianarumque virtutum. Habebat, inquit ille, innocentiam puritatemque tam singularem, ut ne nomen quidem nosset eorum vitiorum, ad quæ proclivis ferri hæc ætas solet; nec secus ac pestem, amicitias eorum, qui licentiores erant, abhorrebat, ne qua mentem labecula contaminaret: scholisque egressus, in studia statim se abdebat. Nusquam atque in templo frequentior, nec usquam quàm in foro rarior. Ex quo cultum religionemque in Virginem sanctissimam didicerat, ex eo quoque à Virgine videbatur inuicem in curam patrocini-umque susceptus. Cùm primùm versus Latinos pangere cœpisset, permixtus, inquit, à me est, pro libitu argumentum sibi sumere, & ille de IESU nomine poëma facere instituit; quo tantam affectuum teneritatem expressit, ut haud obscurum indicium fecerit, aliquando in IESU Societate se futurum. Archipresbyter Diesthemiensis cùm semel accurate interio-

Multus in templo, nullus in foro.

Quod primum ab eo carmè compositum.

Archipresbyteri de Ioanne testimonium.

ra adolescentuli huius secum reputasset, hoc de eo eximium testimonium dixit: *Angelum fuisse Ioannem, in eoq. Angelicam castitatem effloruisse; atque ad summam dicturos omnes, in Ioanne fuisse virtutum omnium thesaurum.* Ex hisce testimoniis, quanta fuerit Ioannis eâ ætate bonitas innocentiaque, quod ingenium, quæ de eo expectatio, facile poterit æstimari. Tamen quod parentem deficerent facultates, quibus diutiùs studiorum eius impendia sustentare posset, pater ad se vocatum coram matre admonuit, videri sibi è re facturum, si ad artem aliquam faciendam animum cogitationesque transferret, quando sibi in studia eius longiùs promouenda non satis opum suppeditaret. Percussus eo nuntio Ioannes, consilijs suis utique vehementer aduerso, ad patris matrisque genua abiectus, tensis manibus supplex obtestari, interposito Dei amore, cœpit, per eos sibi liceret in Ecclesiasticorum numerum referri: id quod, etiamsi sine studio literarum fieri non posse, satis intelligeret; ne tamen paternam domum nimio grauaret sumptu, se panis atque aquæ victu contentum fore pollicetur, si modò à proposito non auocarent. Quæ verba tanto cum sensu constantiaque est prolocutus, ut ijs commotus pater, non iam studia eius auderet ultra retardare,

*Constantia
in exorando
parentes.*

dare, sed de eo quoque ad aliquem applicando agitaret, cui & ipse seruiendo, operam simul locaret, & à quo studendi inuicem acciperet facultatem. Ac post paucos dies quam Decano Diesthemienfi Ioannem patet collocasset, Mechliniam eum ablegauit ad D. Ioannem Freimontium, Canonicum templi Cathedralis, qui eum filij instar charum semper habuit, studendi que copiam fecit. Mechliniâ concessit Ioannes anno 1613. nondum expletâ ætate annorum quatuordecim, eiusdem iam dicti heri contubernio vsus, dum in Societatis tyrocinium adlegatur. Frequentauit tantisper humanitatis scholam vetusti in eâ vrbe Collegij, donec instituto Societatis Gymnasio, ad illud, contra multorum præcipuorum voluntatem, non sine Dei (vt ipse aiebat) singulari prouisione, se transferret; fuitque, examine facto, idoneus audiendæ Rhetoricæ iudicatus, & Rhetorum in classem transcriptus. Hic demum adolescentis indoles elucere, seseque supra prima virtutis elementa publicare; & qui nuper paternâ in domo, inter accumbendum, perpetuò librum habuerat ad manus, hinc noctes totas sine somno in studijs traducere, sciendi cupiditate; ac si qua per diem cum hero prodeundi necessitas coëgisset, libellum vnâ secum conferre, temporis vin-

Canonico ministrat ad studiorum sumptus subleuandos.

Rhetoricâ audit in Collegio Mechliniensi Societatis lesu.

Vigilia inter studendum.

vindicandi causâ. Admirabantur in eo omnes incredibilem morum cum insigni specie coniunctam suauitatem, modestiamque tantâ bonitate mixtam. Non dedignabantur iuuenes etiam nobilissimi cum eo cōsuetudinem contrahere: quinimò & honorabant, quantumuis natalium fortunarumque obscuritate inæqualem. Si fortè solutior sermo aliquis inter commilitones incidisset, atque ipse fortè interuenisset, statim aut silebatur, aut ipse pudore suffusus discedebat, perinde vt de Senensi Bernardino narratur. Puer quidam existit præter ceteros ad petulantiam educatus, qui conuitijs eum sæpius iniurijsque figebat: sed optimus Iuuenis postquam iniurias omnes summâ cum animi demissione tolerantiaque tulisset, nullâ vmquam responsione pueri procaciam fregit, nullas vmquam apud alios querelas deposuit.

*Morum
suauitas
Nobilium
ei conciliat
amorem.*

*Patienter
fert iniurias.*

Initio sui ad Scholas Societatis accessus, omni statim contentione procurauit in Virginis beatissimæ Sodalitium admitti, in quod summo omnium consensu & approbatione relatus, mox insigni suâ industriâ, iucundissimaque consuetudine, quàm plurimos in eundem cœtum pellexit, non è suis modò commilitonibus, verùm etiam Seminarij publici alumnis; aiebatque se illis affici præcipuo quodam amore, quos sciret Matri sanctissimæ.

*Procurat se
referri in
album So-
dalitij Ma-
riani.*

*Complures
in eundem
cœtum ad-
ducit.*

ctissi-

ctissima esse deuotos. Omnibus in hac Congregatione praeluxit exemplo bonitatis, obferuantia, religionis. Sabbati diebus omnibus, alijsque Virginis peruigilijs, ieiunio eam venerabatur. Quotidie proprias ei preces e Psalterio D. Bonauenturae perfoluebat. Principio cuiusque mensis Directorem Congregationis interrogabat, cui vitio praecipue emendando se iuberet incumbere, quo cultu beatissimam Virginem, mensisque currentis tutelarem Diuum demereri. Per eos dies commentationi plusculum dabat sese, & quidquid temporis litterarum studio superabat, in orando consumebat. Omnis vero domus angulus, quem vacuum primum offendisset, ei pro Oratorio erat; nec semel a domesticis post noctis medium, nudis in solo genibus orare, post orationem humi somnum capere, deprehensus est. A sacra Communionem duas tresve horas orando extrahere consuerat. Quolibet Veneris die, sub tenebras vespertinas, ne a quoquam nosceretur, plantis nudis viam, qua sanctae Crucis supplicatur, per varia stationum loca, in memoriam sacratissimae Passionis obibat: quod ut religiosius secretiusque faceret, soleas inferne succiderat calceis, ut dum plantas soli saxorumque asperitate affligeret; tectis supernè pedibus, obuorum oculos falleret. Quidam
ex

*Obsequia
B. Virgini
exhibita.*

*Variapie-
tatis exer-
citia.*

*Orationi
deditus.*

*Celanda
virtutis
inuentum.*

ex collegis eius, dum Mechliniæ studeret, *Opinio sanctitatis.*
 qui animum deinde appulit ad Religiosos
 Præmonstratenses, iam tum certam ad eò de
 Ioannis sanctitate opinionem conceperat, vt
 etiamnum religiosè asseruet, sacri instar pi-
 gnoris, Hymnum cuius initium est, *Salve Re-*
gina, Latinis ab eo versibus scriptum. Tam *Obediendi*
 promptè alacriterque Moderatoris sui ver- *mira prom-*
 bis obtemperabat, vt (quod quidam de eo *ptitudo.*
 Pater dixit) videretur Angelus esse Tobia ad
 quæuis accipienda imperia expeditus. Ali-
 quando ab hero suo Canonico Louanium
 Mechliniâ (quod iter est duodecim millia-
 rium Italicorum) mittebatur à viatico satis
 instructus. Ille pedibus iter emensus, negotio *Iter lon-*
 administrato, Mechliniam eodem die reuer- *gum nullo*
 sus est, confecto celerrimè 24. milliarium *sumptu à*
 spatio, nullo aut Louanij, aut per viam, cibo *ieiunio con-*
 potuè gustato, aut teruncio vllò viatici no- *fectum.*
 mine expenso. E rei cuiuslibet aspectu fru- *Fructum*
 ctum capere nitebatur. Erat hero suo domi *capit è re*
 canis nationis Anglicanæ; quem cum in *qualibet.*
 auestrem venationem educaret, ostenso pa-
 nis frusto docebat transnare flumen, tantil-
 laque mercede fatigare sese, obseruare nu-
 tum, ac iussis herilibus obedire. Hinc discere *A venati-*
 se aiebat Ioannes, quã alacriter obediendum *co cane obe-*
 Deo sit, æterna nobis præmia pollicenti. Ca- *dientiam*
 nonicus, exploratâ perspectaq; tantâ Iuuenis *discit.*
 boni

bonitate, eum filij instar amabat, neque lacrymis temperare poterat, quoties mentio eius incidisset.

*Angelus
tutelaris
Ioannis
alijs quoq;
praesto est
eius nomi-
ne inuoca-
tus.*

Rem de eo narrat, quâ intelligi possit, Ioannem, ut erat Angelicis moribus, ita suum quoque Angelum habuisse quasi in potestate, promptumque ad obsequendum. Is etenim, etsi ab alijs Ioannis nomine inuocatus, praesentibus periculis eos videtur asseruisse. Ibat cum Ioanne suus herus ad visendam Aspricollensem Virginem, circa Pentecostes festum. In reditu, quod iter Arschothum versus ignorarent, viae ducem unum, deinde alterum, utrumque desertorem, malè expenso stipendio elegere. Ergo errabundi per silvas ibant incerti viarum, quas latrones recentibus insidijs caedibusque habuerant infestas. Simul subita tempestas fulmine tonitruque concitata, aberrantes consternabat. Cum sic horas aliquot vagi per nemus errassent, tandemque in tramitem tam angustum descendissent, ut vix equo singulari transitus pareretur; percussus Canonicus desilit ad pedes, subleuatoque in equum Ioanne, eum subsequitur pedes. Ut autem periculorum anxietas flagrantissimas laborantibus subministrat preces, Canonico in mentem venit, salutem suam tutelari Ioannis Angelo commendare, quod plus apud Deum posse preces illius crederet,

deret, quem Angeli vice ipse suspiciebat. Res ^{Horrenda} ^{tempestas} ^{cum insoli-} ^{to spectro.} mira, vix preces fuderat, cum horrendum insonuit tonitru, fragore tanto, vt ruere cælum videretur; ac tum ille vibrati fulminis iactum pertimescens, oculos attollens cælo, Deum scilicet propitiabat; cum ecce videt præcipiti rupe deuolui rusticam feminam: quæ mox specie felis circumuoluebatur pedibus Ioannis, inconditoque corporis motu atque ardentibus oculis eum contrà intuita, vociferans, collumque contorquens, subito euasit in fugam. Tum repente commutatâ tempestate, serenantiq; luce, summæ se turris apex, quò tendebant, ostendit. Huc vbi peruenere, intelligunt maleficam haud ita longè ^{Malefica} ^{incanta-} ^{menta.} habitare, quæ magicis incantationibus tantam potuerit concitasse tempestatem: quo audito, Canonicus persuasum habuit, veneficam illam ab Angelo Ioannis custode (cuius ipse præsidium implorarat) ita ad eius pedes fuisse deiectam, vt nimirum appareret, tam sæuæ periculum tempestatis Ioannis præcipuè fuisse meritis depulsum.

Iam virtus Ioannis in eam perfectionem adoleuerat, vt gratior indies diuinis oculis arderet, & cælesti quoque Maiestati placeret ^{A Deo ad} ^{religiosam} ^{vitam in-} ^{uitatur.} prouidere, ne formosum adeò lilium inter pungentes sæculi spinas languendo emorertur, sed in Religionis paradisum depangendum

B dum

dum transportaretur. Hic verò Deus, orationis sanctioris præsidio, in cognitionem vanitatis mundanæ rerumque caducarum adductum, deterritum simul sæculi periculis laqueisque, & ostensâ Religiosi status securitate, exultantem nouis accendit desiderijs, totum se consecrandi vitæ Religiosæ.

Morem gerit vocanti Deo.

Ille autem qui semper internis Dei vocibus morem obsequentissimè gesserat, neque vquam diuinis imperijs repugnarat, aurem promptissimè accommodauit tam sanctæ inspirationi; quinimò studuit salutarem hunc affectum fouere in pectore, quem benignissimus Creator ac Dominus dignatus fuerat in eo inflammare. Hanc ad rem legendis S. Hieronymi epistolis, Vitaque B. Aloysij Gonzagæ, fatebatur se plurimum fuisse adiutum: atque

Ratio deprehendenda diuina voluntatis.

epistolæ quidem in eo accenderant vitæ secularis deserendæ, Religionisque ineundæ cupiditatem; Vita autem Aloysij, inflexerat ad eligendam præ reliquis Societatem. Verum vt securius certiusque acquiesceret diuinæ voluntati, tria præterea facere instituit: Primum, auxit orationem, duplicauit asperitates corporis, frequentationemque sanctissimæ Eucharistiæ; quin etiam deinde quothebdomadis confessione Communionequè bis vti cœpit, Deum obtestando, vt in id se vitæ genus impelleret, in quo diuinæ suæ Maiestati obse-

obsequium abs se reddi præcipuè placuisset. Alterum, cum in peculio haberet viginti quinque florenos, tres in partes eos diuisit: vnâ pauperibus erogauit; alteram Louanium misit, vt in Æde S. Petri ad aram Marianam certa Sacra fierent; tertiam in Asperum-collem, ad exorandam, Sacris totidem, beatissimæ Virginis opem, transportari curauit. Illud denique tertium, hanc nouam suam instinctiōem vocationemque conscientiæ suæ Modèratori indicauit, implorans opem orationum eius ac directionem; adeoque se illi totum permisit, vt promitteret, ab eius consilio ne tantillum abiturum.

Breuî manifestum exploratumque bono Iuueni fuit, quòd à Deo in Societatem vocaretur: neque exiguo illi incitamento fuere utilitates, quas Societas ipsi Belgio longè maximas adfert, laboresque quos in reducendis ad Ecclesiæ Romanæ castra fidemque hæreticis suscipit; maiora denique, quæ in vicino Angliæ Regno à Patribus, cum sanguinis etiam ac vitæ profusione, carcerum durissimorum squalore, tormentorumque acerbâ perpeffione, tolerari ac patrari audiebat. Concepto igitur proposito, Deoque factâ sui in Societate consecrandi oblatione, meriti maioris ergò ac firmitatis, hoc propositum suum voto sanxit. Narrat, qui animo eius dirigendo præ-

Quibus incitamenti ad Societatem inuitatus.

Vorum concipit ingrediendi Societatem.

do præerat, Ioannem, quoties secum de hoc suo decreto tractaret, solitum promittere, conaturum se euadere in eximiè sanctum; quòd diceret nempe, fieri non posse, quin tantis, quanta sunt in Societate, præsijs ad summam absolutamque sanctitatem pertingatur; se verò, quoties ab eius colloquio discederet, abijisse persuasum, aliquando Ioannem, sic vt dicebat, sanctum reuera fore, quòd tanta, cum id pollicebatur, fidentia constantiaque esset promittentis. Et quoniam verebatur vocationis beneficium amittere, si vel tantillum feruor ille relanguisset, quem tum illi Deus iniecerat, illum suum conscientie moderatorem, solito sæpius frequentabat, omnem noxiam consuetudinem subterfugiebat, numquam stas preces, solitave pietatis officia intermittebat; atque vt beatissimæ Virgini vocationis hoc beneficium referebat acceptum, eandem, id sibi vt perpetuaret, impetraretque eius persequendi gratiam, obnixè precabatur.

Ratio conseruanda vocationis.

Parentibus propositum suum indicat.

Cum ad decimum ferè & septimum ætatis annum attigisset, seu vt quamprimùm Deo sese consecraret, seu ne parentes frustra quidquam de se statuerent, decreuit suam illis voluntatem indicare litteris, simulque significare, factò abs se voto id propositum esse sancitum. Hac autem formulâ eas litteras signa-

signavit: *Filius Iesu Christi & vester Ioannes*. Acerbus patri matrique accidit tam in-
 speratus nuntius, cum, quod eum, ut pro-
 sperrimum nuptiarum suarum votum, ama-
 rent vnicè, tum etiam quod spes omnes suas,
 hac orbatì prole, collabi augurarentur, in
 cuius felicissimis auspicijs vniuersa domus
 suæ procumbentis incrementa collocassent.

Adornati fuère à parentibus Patres Capuci-
 ni qui eum interrogarent; missusque ad eos
 Ioannes haud grauatè iuit; atque ad obie-
 ctas sibi in audiendarum Confessionum mu-
 nere, alijsque id genus officijs difficultates,
 tam appositè respondit, ut & ipsi acquiesce-
 rent, & Iuueni suâ constantiâ gratularentur.

Religiosus quidam, matris fortè obsequen-
 tiâ ductus, ut constantiam Adolescentis à
 proposito flecteret, sæpius etiam domum
 eius veniebat: ac principiò quidem Ioannes
 ferebat patienter omnia, hominemque etiam
 obseruabat; at tandem sermones eius non
 ferens, sumpto etiam maiore spiritu, appre-
 hensum protrahit ad limen domus, & En
 Pater, inquit, si aliud nihil vis, en ianuam, abi
 quâ venisti. Quibus ille verbis pudefactus,
 deinceps eius tentandi fiduciam dimisit. De-
 nique superatis pertinaci ferè perseuerantiâ
 difficultatibus omnibus, parentibusque, quan-
 tum ratione fieri potuit, pacatis, post audi-

B 3 tam

*Maeror pa-
rentum &
machina.*

*A Religio-
sis super
vocatione
interroga-
tur.*

*A quodam
Religioso
tentatur
molestius.*

tam anno vno Rhetoricam in Scholis Societatis (in quibus affirmant eum longè ceteros omnes ingenio præiuisse, Græcisque ac Latinis seu versu seu prosâ antecelluisse) VIII. Kalend. Octob. anno M. DC. XVI. annos natus septemdecim & medium, admissu Patris Caroli Scribani Prouincialis, Mechliniæ in Tyrocinium Societatis ingressus est, Sabbati die; primusque eorum extitit, qui è recentibus hisce Scholis in Societatem fuit coopratus.

*Ingrreditur
Tyrocinium
Societatis.*

*Primus è
Scholis
Mechli-
niensibus in
Societatem
admittitur.*

*Eius cum
socio verba.*

Per idem tempus alius quidam adolescens in Societatem receptus, cum simul ambo ad Tyrocinium irent, Ioannes ingenti spiritu ardoreque plenus, per viam magno ei cum sensu dixit: O vtinam, mi frater, quemadmodum nunc simul ambo coimus in eandem familiam religiosam, ad seruiendum Deo in terris, ita simul quoque alter alterum comitemur in cælum! Proximè verò Tyro-num domum, cum videret Ioannes è nostris quemdam, excolendo horto intentum, comiti, Et nos, inquit, certè non possumus melius quàm ab animi demissione charitateque vitam religiosam auspiciari: hortumque ingressus, statim cum socio operi se dare cœpit.

*Statim hu-
militatis
exercitijs
se dedit.*

Commemorare hoc loco non possum suaues illas cogitationes, piosque affectus, quibus

quibus gestiebat sancti adolescentis animus, ubi receptum se in domum Domini conspexit: nam ut hi Deo soli noti, sic à nemine sunt notati. Illius etiamnum primæ vesperæ memini, cum post cœnam, dum in conclavi staret, in quod omnes ad remittendum animum conveniunt; ubi mundo se expeditum, Dei que servis adnumeratum vidit, tantâ fuisse interiùs dulcedine perfusum, ut totâ eâ horâ, ob tenerrimum animi sensum, lacrymis continenter indulgere cogeretur.

*Internum
animi gaudium.*

Quamprimùm fuit in familiam adlectus (neque enim diu latet virtus) sui statim specimen dedit, innocentis nimirum (qualis erat) puri, prudentis, omni que in re absoluti; planè ut Novitiorum instructor, ceteris eum in exemplum proponeret imitandum. Atque hinc etiam, quâ in opinione eum Superiores habuerint, intelligi potest; quòd cum necesse esset, creari ex ipsis Novitijs unum aliquem, qui reliquis Tyronibus quodammodò præesset, eosque in externâ disciplinâ duceret, ac suum cuique munus partiretur, qui que instar socij, vicariam quamdam operam commodaret ipsi Magistro Novitiorum; id munus scilicet detulerint Joanni: quod ille tantâ omnium approbatione gessit, ut nemo umquam sit repertus, vel è centum amplius Novitijs (quot tum capita cen-

*Virtus eius
se prodit.*

*Novitiis
ceteris præ-
ficiuntur.*

*Omnibus
in praesentia
charus,
gravis ne-
mini.*

*Idem om-
nium de
eius virtu-
te iudiciū.*

*Perpetua
oris hila-
ritas.*

*Gaudet
morsifica-
tionibus.*

sebantur) qui de eo quereretur. Quin etiam in posterum, si quando aliquem e successoribus eius deprædicare vellent, ut magnum dicere solebant; Videtur alter esse Berchmannus. Quicumque eum aut videbant, aut cum eo versabantur, Angeli instar suspiciebant. Ac semel aliquis coram, ut ingenuo eum rubore perfunderet, narrabat; quo tempore beatissima Virgo miracula in Aspero-colle perpetrare cœpisset, eodem quoque tempore insigne vnum fecisse Diesthemij; ubi Angelus quidam humanâ carne vestitus apparuisset (digito ad Ioannem intento) qui specie moribusque Angelus audiebat. Enim verò eam semper oris hilaritatem alacritatemque præferbat, ut eum aliqui S. Hilarium, alij S. Lætum facetè appellarent. Nec intervallo placidus erat, & rursus ex placido turbidus; sed, perpetuo tenore blandus, etsi illi natura non ignavi sanguinis spiritusque generositate ferueret. Sui ipsius subiugatione contumeliosque gaudebat; laceras pannosque vestes amabat; publicè reprehendivilibus applicari operibus exoptabat: gestiebat quoque asellum suum (ita corpusculum vocabat) abs se alijsque fatigari. Cupiebat autem flagrantissimè, suas sibi culpas coram alijs exprobrari; quarum ut syllabum aliquem Superiori adferret, ab his illisve, equos

quos in se nauos aduertissent, exquirebat; *Rogat suas*
 tristabatur verò, si nullos abs se notatos fuisse *sibi culpas*
 responderent: & quaternos sibi animadu- *indicari.*
 fores, Censorum instar, apponi aliquando *Observari*
 impetrauit, qui perpetuò in illum intenti, *se facit*
 commonefacerent, si quid vitij obserua- *aliorum*
 sent: atque horum vnus, cùm de leuissimæ *oculis, vt*
 rei prætermissione semel eum admonuisset; *suos nauos*
 etiamsi tum quidem Ioannes, maioris cha- *cognoscat.*
 ritatis officio districtus, rem illam omittere
 necessariò debuisset, gratias tamen cumula- *Gratiam*
 tissimas admonitori retulit, trium Rosario- *admonitori*
 rum numeratione repræsentatâ: eundem *reddat pro*
 que orationum numerum se ei in posterum *admonitio-*
 toties perfoluturum spondit, quoties errati *nis curâ.*
 alicuius reum comperisset: quo lucri sanctio-
 ris compendio inescatus alter, acerrimis eum
 oculis passim consecratus, ne minimæ ta-
 men noxæ culpam in eo vniquam depre-
 hendit.

Admirabilius est quod in hoc genere de
 eo refert Magister Nouitiorum; cùm vidis-
 set nempe, contentione tantâ à Ioanne flagi-
 tari, vt sua sibi errata publicè ab acri aliquo
 reprehensore obijcerentur, se eius consolandi
 gratiâ iussisse Nouitios singulos (qui om-
 nes centenis plures erant) deferre ad se, sche-
 dulis scriptis, si quos in Ioanne culparum na-
 uos aduertissent; moxque palam omnibus,
 B 5 singu-

*Nulla in eo
culpa in-
uenta.*

singulorum inspectis schediolis, ne vnum quidem fuisse, qui vel leuissimam eius noxam detulisset. Quot laudum volumina alata fuissent, si quos noxarum delatores esse iusserat, virtutum statuisset obseruatores? Ea res iure merito magnam Patri admirationem excitauit; cum, quia non exiguus fuisset ille Nouitiorum numerus; tum quia Tyrunculi, vtpote noui, sicut in suscipiendo cuiuslibet ferè rei negotio verentur impingere, ita facile & rem factam sinistra interpretatione accipiunt, & minima quæque censorijs oculis notant obseruantque. E contrario, nonnulli Patres inuestigandum sibi diligentissimo studio sumpserunt, an vt in Ioanne nullius noxæ culpa hæere visa esset, ita nulla quoque in eo virtus desideraretur, earum quas in rebus gestis Sanctorum, illi ætatis gradui de-

*Nulla in eo
virtus de-
siderata.*

bitas propriasque deprehendissent. Res mira! nec vnam etiam reperere, quæ non in illo eluceret. Nascebatur illi hæc tam insignis perfectio ex perpetuâ cõsuetudine cum Deo, cum quo egisse attentâ continenter oratione

*Deum præ-
sentem sem-
per habet.
Nihil vni-
quam ad
Superiorem
desert, nisi
prius con-
sulto Deo.*

videri possit; quem utique tam facili negotio præsentem sibi semper statuebat, vt nihil nisi eo consulto aggredereetur. Quamdiu præfecturam illam vicariam Nouitiorum gessit, affirmavit se numquam Nouitij cuiusquam erratum prius ad Superiorem detulisse, quam cum

cum Deo rem omnem coram SS. Sacramen-
to pertractasset; cum ut pacem nullius, quid
temerè deferendo, turbaret; tum etiam, ne
arbitrio affectuque suo transuersus ageretur.

Quotiescumque verò Rector eo utebatur *Sociorum*
ad denuntiandam alicui pœnam pro admis- *culpam suo*
sâ culpâ; ille in genua prouolutus, ut sibi pro *supplicio*
re pœnam liceret luere, supplex precabatur: *deprecatur.*
quod fortè Rectorem si exorare non potuis-
set, tum ille tam dexterè apteque eam fonti
denuntiabat, ut qui pœnam grauatè subiret,
nemo ymquam fuerit inuentus. Toto tyro-
cinijs sui tempore quotidie minimùm septies *Multus est*
augustissimum Eucharistiæ Sacramentum *in salutan-*
visitabat; ac dum è templo discederet, vica- *do SS. Eu-*
rios sibi in reditum subrogabat beatos Aloy- *charistia.*
sium & Stanislauum. Cumque Nouitios plu- *Sacramêto.*
res hoc prouocasset exemplo salutandi sacra-
tissimam Eucharistiam post factum con-
scientiæ examen vespertinum, non leuem
ex eo capiebat voluptatem; dicebatque, in
historijs Sanctorum huius ferè æui hæc duo
ab se notata, cultum nempe erga sanctissi-
mam Eucharistiam, & religionem in Deipa-
ram Matrem.

Ad orandum, componebat se oculis leni- *Orantis*
ter clausis, manibus ante pectus adductis, ge- *qualis com-*
nibus perpetuò flexis, corpore ad stuporem *positio.*
immoto, ore quasi subridente. Et sanè is ar-
dor

*Quantus
in orando
feruor.*

*Numquam
matutinã,
dum vale-
ret, oratio-
nem aut in-
termisit,
aut alieno
tempore
fecit.*

*Quas res
sibi Sociisq;
à Deo fla-
gitaret.*

*Quanta illi
cum Deo
familiari-
tas.*

*Vota post
primum
annum No-
uitiatu
priuatim
nuncupat.*

dor erat vultus, vt facilè cuius eum intuenti constaret, quàm feruenti Dei amore eius animus deflagraret. Aliqui verò, inter orandum quàm poterant proximè illum circumfistebant, sperantes se inflammatum iri propinquitate, ardorisque aliquid cum eo partituros. Ipse aliquando de se narrabat, se, quamdiu integrâ valetudine vsus fuisset, non solum numquam intermisisse, sed ne traiecisse quidem statam matutinæ orationis horam, vt nimirum plus virium haberet, sua aliorum precibus coniuncta oratio. Tria sibi Sodalibusque à Deo precari consuêrat; Angelicam puritatem, constantiam vocationis, & idonea vt euaderent Societatis instrumenta. Omnium verò imperfectionum remedium esse affirmabat, iugem illam cum Deo consuetudinem, quæ ex orandi frequentia nasceretur: quæ quanta illi cum Deo intercesserit, nullo negotio conijci potest ex ephemeride quadam, quam ipse sibi tyrocinijs tempore confecit (quæque extremo huic libro ad calcem subiungetur) in quâ totius diei actus distribuit, eo ordine modoque, vt in negotijs omnibus mentem perpetuò in Deo habuisse defixam liquidò videatur.

Notatum ab eo reperio, nuncupasse priuatim tria Religionis vota, post primum tyrocinijs annum exactum, vt arctius se Deo alligaret,

garet, ad 27. Septembris anni 1617. legique non modò in schedis manu scriptis, sed & in chartis typo pressis, à pueritiâ vouisse eum

Deo Virginitatem à puero consecrat.

virginitatem suam Deo, ad honorem Virginis Matris. De quâ Virgine conuenerat inter ipsum, aliosque Nouitios (quod Tyrones illi non obscurè præ se ferebant) vt per omnem occasionem in sermone loquerentur; quod præstabant non minore fide quàm feruore:

Socios ad B. Virginis & S. Iosephi cultum pertrahit.

& Ioannes quidem, in hoc peculiari Virginis cultu magnos indies habebat progressus (quod alibi ampliùs dicitur) & ob Virginis amorem sancti quoque Iosephi affectum cum ipse induit, tum in alijs hortatu suo excitauit. Tantis illi pectus circumfluebat lætitijs, cum vel secum reputaret, se Deo in Religione seruire, vt subinde in cubiculo, agendis

Eius internum animi gaudium.

Deo gratijs vacans, in risum suauissimè solueretur; quòd verò reddendis pro tanto uocationis beneficio gratijs se imparem longè sentiret, Sanctorum suorum tutelarium gratiam interponebat, dolebatq; submississimè, tam insigni se Dei muneri non satis respondere: quin etiam ardore tanto religiosi status bona apud exteros commendabat, vt eius amplectendi cupiditate nonnullos inflammaret. Humillimè de seipso sentiebat; interrogatusque aliquando, num inanis gloriæ lenocinijs subinde titillaretur; Ego, inquit,

Sanctorum opem adhibet ad agendas pro se gratias Deo.

Expers uana gloria.

quæ

*Amans
obedientiæ.*

quæ Dei gratia est, bestiam illam non pertimesco. Obedientiæ virtutem amabat vnicè, eoq̄ue nomine S. Ignatium magis etiam diligebat, quòd tam præstantem de eâ Epistolam conscripisset: censebatq̄, in rebus minimis studio maximo obediri debere, quòd intelligerent Superiores, quanto in pretio mandata sua haberentur; quoniam vbi res minimæ accuratè absoluteq̄ue seruentur, ibi res magnas haud dubiè maiori quoque curâ administrari. Aiebat, absolutam illam beati Aloysij in minimis etiam rebus obeundis obsequentiam, non timore aliquo culpæ aut poenæ natam, sed desiderio ipsius virtutis.

*Obediendū
non timore,
sed amore
virtutis.*

Loquebatur aliquando, factâ sibi potestate, cum externo intra Collegij limen, quando alius ad eum quoque alloquendum superuenit: huic apertè Ioannes necessarium esse respondit, prius à Rectore facultatem colloquendi petere; eaq̄ue impetratâ, se, vti fecit, ad colloquium esse reuersurum. Si quando tyrocini tempore ægrè se habere sensisset, tamen obediendi studio, ad consuetam surgendi horam, manè se lectulo eripiebat; mox, copiâ à Superiore factâ, si opus foret, in lectulum reuersurus. Interrogante quodam, quâ ratione silentij lex perfectè seruari posset; Ego, ait, hac ratione facio: Summisse saluto si quem per viam offendo: tum si quid

*Re ipsâ
ostendit,
quo modo
obediendū
esse existi-
maret.*

*Silentij lex
quomodo
ab eo ser-
uata.*

quid me vult, paratissimum offero; si quid interrogat, interrogatum audio, verbulo vni-
co respondeo, & vel alterum superuacaneum
adiocere caueo. Assueuerat eorum, qui ob- *Consuetu-*
uiam sibi fiebant, Angelos custodes salutare, *do salutandi*
aut etiam Deum pro eis orare; interque præ- *di Angelos*
tereundum defunctus salutandi officio, spatij *occurrentium.*
aliquantum se inter & occurfantem relin-
quere honoris causâ.

Per omnem vitam nihil vniquam in eo *Admiranda*
notatum aut gestu solutius, aut signis lasciu- *castitas.*
uius, aut verbo actiue contrarium puritati:
cumque esset ingenio alioqui iucundo ac
blando, hîc semper seuerissimus extitit. At-
que vt gratiâ comitateque alliciebat omnes, ita
singulari morum verecundiâ, castitatis amo-
rem in animis intuentium excitabat: vide-
banturque ab oculis eius quidam quasi radij
vibrari, quibus aspicientes ad castimoniam
accendebat. Suiipsius verò custodem egit *Seuera sui*
circumspectione ac seueritate tantâ, vt quem *custodia.*
lecti locum, corporisque situm, in decum-
bendo, vesperi semel fuisset fortitus, eundem
absque omni motu, seu frigus seu æstus esset,
in auroram vsque tenuisse deprehenderetur.
quem morem reliquo vitæ cursu constantis-
simè obseruauit. Priusquam in lecto se com- *Religiosè*
poneret, diuersas lecti partes his illisque San- *ad somnum*
ctis protectoribus suis assignabat. Inter hos *se compo-*
nit.
medium

medium collocabat, ad lectuli pedes, Christum cruci affixum; ut nempe manē, tam piæ imaginis recordatione expectatus, ad Christum honorandum, exosculandosque sacratissimos eius pedes commoueretur.

*Quibus
cum vitiiis
Religioso
pugnand-
um.*

*Stadium
rerum be-
nè gerenda-
rum.*

*Quanta in
cibo potu-
q; abstenen-
tia.*

Dicebat, aduersus tria præcipuè vitia Religiosis dimicandum esse; acediam, superbiam & gulam: acediam feruore, superbiam submissione, gulam temperantiâ superari. Cuiuscumque gerendæ rei cura illi incumberebat, in eam se dabat totum, perinde ac res quælibet longè omnium maxima fuisset, eaque sola administranda. Dicit omnino non potest, quàm modicis fuerit escis potationibusque contentus Ioannes. Non prius vquam mensæ recordabatur, quàm audito signo triclinij admoneretur; neque vquam potionis aut comestionis immoderatae conscientiam habuit. In triclinio, precatione religiosè peractâ, aliquanto post spatium quàm accubisset, quiescebat immotus, nihilque attingebat, sed mox porrectâ in mensam manu, illatum cibum instar communis cum Deo lancis in frustra carpebat, lautioribus Deo partibus asseruatis; statimque quàm citò alter missus inferebatur, lancem appositi prius ferculi dimittebat. Ratus eo interuallo tutius vescendi necessitatem definiri, quàm appetentiæ infatiatæ arbitrato. Affirmabat, per

per vsum tractumque temporis, temperantiam paulatim acquiri posse; se verò, ne ientandi assuetudine obstringeretur, cœpisse ab initio suscepti tyrocinij detrahere quotidie aliquid buccellatim de cibo consueto, ad ad-
 suefaciendam lentè appetentiam, differendamque in prandij tempus; atque hac viâ didicisse abstinere. Illud assequi cogitando non poterat, quî fieret, Religiosum, ab omnibus vtiq; peccandi illecebris longissimè remotum, tot tantisque benè agendi præsidijs septum, in grauem aliquam noxam incidere posse. Somnolentiam, quâ vexabatur subinde, cum inter audiendum publicas domesticæve concionantium adhortationes somnum non teneret, commordendis ad sanguinem labijs, brachijsque liuore compressio-
 num decolorandis expugnabat: sic pertinacissimo naturæ vitio superato, vigiliâ se attentioneque assuefecit; eodemque remedio pluribus eodem malo laborantibus medicinam fecit. E meridianæ congressionis colloquio aiebat se novos spiritus colligere in reliquo spatium diei; vespertinâ autem colloquutione adiuuari ad instituendam ardentius meditationem, communionemque diei sequentis: quare videri sibi diuinitus instinctos fuisse Patres, qui sextis Comitij Generalibus, horæ illius geminæ remissionem, non leuibus

Ratio discēda temperantia.

De somnolentiâ triumphat.

Fructus colloquij post prandium et cenam.

C ratio-

rationum machinis oppugnata, constanter retinendam censuissent, quando tantos ex eâ fructus existere sentiatur.

*Chinas ad-
ire optat.*

Multus erat in memorandis missionibus nostrorum ad Japonem & Chinas; earumque postremam expetere ipse se ostendebat, ac si quæ inde de religione noua adferebantur, primus sodalibus indicare, ad eorum consolationem, festinabat. Tyrocini tempore, etsi perpetuis officio sui occupationibus impeditis, linguam tamen Gallicam (cuius antè ignarissimus fuerat) ita didicit diligenter, ut in triclinio sæpius Gallicè sit concionatus. Quam linguam didicisse se narrabat, ut

*Vt pluribus
ad salutem
profr. Gal-
licam lin-
guam discir.*

obeundis Societatis muneribus magis esset idoneus, & ne vel vnus animæ damno esset imperitia illius linguæ, quæ adeò familiaris est Flandriæ vniuersæ. Semel tantâ animi

*Contentio
in concio-
nando.*

contentione ardoreque de B. Aloysij laudibus è suggestu dixit, ut vereretur Superior, ne valetudinem dicendi impetu debilitaret. Ru-

*Catechismi
explicandi
gratia sin-
gularis.*

sticis Catechismum eâ gratiâ explicabat, adeoque suauiter ab agresti vitâ ad humanitatis religionisque cultum reducebat, ut illum mallent quàm Concionatorem audire: cumque aliquando agrestium filios docuisset preces Rosario adnumerare, & id genus coronulas pauculas inter vernulas rusticos distribuisset, post horas aliquot domum reuerfus,

uersus, de viâ aspexit nonnullos post sepium
virgulta genibus nixos coronas suas orando
voluere, non sine magno animi sui sensu. A-
liàs cateruatim puerorum agmina reuertentem
rure comitabantur in Tyrocinium vs-
que, non sine Patrum id spectantium gaudio
atque admiratione.

Ingenti ardebat zelo iuuandi domesticos *Zelus ani-*
omnes, nec minori charitate ferebatur in sa- *marum*
lute[m] exterorum; atque vt secundis aliorum
successibus mirè lætabatur, ita dolebat ad-
uersis, nec minor eum proximi quàm sui sol-
licitudo exercebat. Nouitius quidam propo- *Nouitium*
siti pœnitens, viam explorabat abeundi. Ipse *in proposito*
ad genua se aduoluit dubitantis, obtestatur *nutantem*
dies aliquot maneat: intereà Socios sollicitat, *firmat.*
vt pro eo Deiparam deprecentur; & constan-
tiam nutanti videtur impetrasse. Cùm qui- *Studium*
dam è Tyronibus sub noctem obiisset è vi- *soluendi*
uis, Ioannes visus sibi parum pro defuncto *suffragia*
orasse, potestatem fieri sibi petijt, plura pro *pro mor-*
eo Rosaria persoluendi, postquam reliqui ad *tuis.*
dormiendum essent profecti. Ad summam, *Biennium*
vtrumque Tyrocinij annum eâ Superiorum, *tyrocinij*
Contubernalium, Patrum Fratrumque do- *conficit.*
mesticorum satisfactione transegit, vt Ange-
lus loci audiret. Vtque nemo vllum vniquam *Magna de*
in eo defectum notarat, sed quilibet virtuti- *eo virtutis*
bus omnibus censebat absolutum, ita sanctæ *opinio.*

C 2 instar

instar virgunculae suspiciebatur, deprædicabaturque, & consuetudinem eius non modò amabant, sed ambiebant omnes. Nonnulli è Tyronibus solo se eius aspectu ad virtutem pietatemque accendi fatebantur; & quid nescio diuinum oculis, vultu, totoque corpore emicare, ita Cælitibus quàm mortalibus familiarior videbatur.

Aspectu suo ad virtutē inuiat.

Ad pronūtianda Religionis vota admittitur.

Patris iam Sacerdotis sacra pro se postulat.

Igitur cum de nuncupandis ab eo votis ad Patrum concilium deferretur, omnium qui conuenerant suffragijs non modò idoneus iudicatus est, verum etiam eximiâ laude commendatus. Ipse autem vt hoc sui holo-caustum Deo redderet acceptius, ad patrem suum, qui iam Sacerdotio, vt prædiximus, Diesthemij erat initiatus, litteras scripsit, rogauitque, vt in Æde Asperi-collis ter Sacris in honorem sancti Spiritus operaretur, sibiq; à Deo opem Deiparæ patrocinio efflagitaret. æquum enim esse, vt quemadmodum parentes vulgò gaudere solent, cum filij contractis Magnatum affinitatibus acceptum familiae splendorem augent, ipse multò amplius sibi gratularetur dignitate filij sui, cuius anima dicto votorum sacramento iam Christo Iesu cælorum Regi esset desponsata; quo se obstringi voluisse dicebat, vt mundo mortuus, in IESV cruci affixi Societate tribus quoque clavis, paupertatis, castitatis atque obedi-

obedientiæ hæreret confixus. Diebus verò ^{Ritè præ-}
 aliquot cùm huic se Sacrificio offerendo di- ^{paratus vo-}
 ligenter præparasset, vii. Kalendas Octobris ^{ta nuncu-}
 anno M. DC. XVIII. Magistro Nouitiorum ^{pat.}
 P. Guilielmo Bauters manè sub Sacrum
 coram sanctissimo Eucharistiæ Sacramento
 vota sua nuncupauit, cælestique pòst pane est
 reffectus.

Enimuerò quàm arcta illi, extremo iam ^{Quanta}
 Tyrocinio, cum Deo intercesserit necessitu- ^{eius cum}
 do, vel eo constare potest, quòd nulla ei (ut ^{Deo con-}
 solet reliquis Nouitijs ante Votorum tem- ^{iunctio.}
 pus) facultas secedendi in exercitia spiritua-
 lia concessa sit. Sed clariùs longè conceptam
 de eo sanctitatis opinionem prædictus Pater
 expressit ijs litteris, quas ad me dedit, quan-
 do iussu Præpositi Prouincialis Antonij
 Sucquetij, quæ huc vsque narrata sunt, è Bel-
 gio mihi in hæc verba fuère perscripta: *Hæc Testimoniũ*
ferè ea sunt, quæ Reu. vestra mitto, partem à me ^{de eo Ma-}
observata, partem ab alijs accepta. Addo, reli- ^{gistri No-}
gione adductus, cùm eum in petitione Socie- ^{uitiorum,}
tatis, adhuc secularem, iussu Superiorum ex-
aminarem, visum mihi primo aspectu animiq;
conceptu, Angelum me humano in corpore
videre; quem talem reuerà esse mox certius
deprehendi, ubi mentem eius penitus penetra-
ui. Erat enim summa eius innocentia, modestia
singularis, rara in agendo suauitas, & quod

caput est, non humana, sed planè celestis. Superiorum erat obseruantissimus, constantissimus rerum semel susceptarum, orationi deditissimus, in quâ sæpè præclaris à Deo luminibus fuit cumulatus, neque aliud quàm Dei gloriam spirabat. Ita ex animi sententiâ testor. Plura longè quàm dicto testimonio attulerat, deinde idem eius Confessarius Instructorquæ Tyro num affirmat alteris litteris, quas postea ad me scripsit quàm ipse primam hancce partem legerat, quæ à me maioris fidei conciliandæ causâ ad Patrem Prouincialem missa fuerat, vt eâ cum Patribus isthic communicatâ, temporum rerumquæ fierem certior, magisquæ e sensu scriberem Belgarum, quibuscum quæ scripsi (vti contenderam) comunicata sunt. Atque vnus ille fuit qui in hunc modum scripsit, vt eius ex litteris intelligi haud obscure possit, quali existimatione prius etiam Ioannes fuerit, quàm veniret Romam. Igitur in hæc verba scribit: Reuerendus Pater Prouincialis superioribus diebus mecum communicauit primam partem vite fratris nostri Ioannis Berchmanni, beata memoria, quam Reu. vestra diligenter conscripsit, longè sanè iucundissima mihi accidit ea lectio; & haud scio an alia vlla gratior. Videbar enim mihi videre denuò sanctum illum nostrum Adolescentulum, inter centum amplius No-
uitios

Quâ fide
hæc vita
scripta.

Alterum
de Ioanne
testimoniũ
eiusdem
Magistri
Nouitiorũ.

vitios scholasticos in Tyrocinio Mechliniensi
 versantem, Angelico suo more; veniebatq; in
 mentem sanctorum vestigiorum religioſe illius
 vitæ operumq; bonorum, quæ ut olim coram
 inspecta mirè me rapuerunt, ita nunc iterum
 narratione Reu. vestrae auditâ, me meosq; ad
 eum imitandum, laudandumq; Deum super
 seruo suo incredibile quantum prouocarunt.
 Illud affirmo, mi Pater, etiamsi Superiorum
 meorum iussu illius regendi instruendiq; pro-
 uinciam suscepissem, tamen ex quo animum
 eius perspectum habui, eum semper cum admi-
 ratione suspexisse, atque etiam nunc Deum ora-
 re quotidie, ut eam mihi gratiam faciat, si non
 eius exæquandi, saltem aliquousque assequendi.
 Et certè pudet me mei, dum aspicio venerorq;
 in dies magis ac magis icunculam quamdam mi-
 hi ab eo relictam, cui discedens inscripsit, Se fi-
 lium indignum, me Patrem. Neque verba illa
 sine sensu aut rubore legere queo, cum tanto
 me interuallo abesse sentio ab eâ perfectione,
 quam ille tam breui est spatio consecutus. Ve-
 reorq;, ne aliquando Deus, illo contrâ produ-
 cto, exprobet mihi negligentiam ingratitude-
 nemq; meam. Sæpenum meipsum accuso obli-
 uionis multarum rerum, quas illum aut reli-
 giosè agentem vidi, aut dicentem audiui ad
 gloriam Dei, instructionemq; proximi, denique
 promouendam Regularum nostrarum accura-

tam obseruationem, spiritusq; feruorem. Etsi enim multa Reu. vestra perscripsi, pauca tamen ea sunt, comparatione plurimorum quæ ille absque cessatione aut defatigatione faciebat, cum numquam in Religionis operibus indefessus hic Iuuenis usurparet languidum illud, Sat est, aut, Non amplius: sed generosissimum eius pectus auidâ semper cupiditate longius ulteriusq; tendebat. Et ut multa fuerint virtutum omnium externarum, quibus eminebat, exempla; longè certè plura fuere interiora animi eius ornamenta, quæ ille mihi non arrogantia, sed morum fiducia, apertoq; candore patefaciebat. Quibus exploratis, hanc apud me de illo sententiam concipere sum coactus, præuentum fuisse à Domino in benedictionibus dulcedinis, & iam inde electum ab incunabilis in purissimum habitaculum Spiritus sancti, ac deinde eximia semper promptitudine constantiq; adnixum gratiæ diuinæ, cui ab aurorâ exorientis vitæ sinum aperuerat mentis, quamq; deinceps conseruauerit semper.

Societatem ingressus, quamdiu in Belgio degit, viuum fuit perfectumq; religiosa disciplina exemplar, & singularis obseruantia speculum. Amplius ob ea quæ vel ab ipso accepi, vel in eo ipsemet vidi, ita semper existimavi, atque etiamnum existimo, perpetuò eum respondisse gratiæ vocationis, absque omni remissione aut defectu,

defectu, semperq; inter nos sanctissime vixisse. Profecto, omnium nostrum, qui cum eo viximus, quiq; eum nouimus, vna semper fuit sententia, vitam inter nos duxisse Angelicam, magnam animi innocentiam, agendi modestiam, suauitate morum, admirabili honestate, tranquillam viuendi ratione, rerum auspiciarum constantiam, absolutam obedientiam, promptitudinemq; in seruiendo; singulari prudentiam, rerumq; gerendarum excellenti feruore spiritus, continenter ob oculos positam presentiam Dei, instar Angelorum qui perpetuo sunt in conspectu Domini. Verbo vno complectar plurima, si dixerò: Benedictio Domini super caput eius, elegit eum Dominus ex omni carne; electo vero dedit precepta & legem vite & disciplinae, circumcinxit eum zonam iustitiae, dirigens in exactam religiosam vite obseruatione, & deinde magnificauit eum, & sanctum fecit eum, & induit eum Dominus coronam gloriae. In hanc sententiam veni de optimo fratre meo, ex ijs quae in eo obseruaui, confirmantq; haec ferè res: communis in eum Provincia huius Flandro-Belgiae affectus; veneratio, quam in eum feruntur; perfugium, quod orando in eo positum habent. Admirabitur forte id Reu. vestra quod iam dicturus sum, quodq; ego apud me non raro cum admiratione reputaui, neque satis scio, an hucusque umquam Sanctorum ulli euenerit: argumentum haud dubie

amoris communis in beatum hunc religiosumq;
 Adolescentem, nec minus indicium voluntatis
 diuinae in eo honorando. Licet Roma sit mor-
 tuus, nec multis apud Belgas de vultu notus, eius
 tamen effigies in aereas tabulas à duodecim ex-
 cellentissimis Belgij sculptoribus est incisa; ima-
 gines autem quà impressæ, quà venditæ, quà ve-
 nales, amplius triginta millia, supra eas, quæ
 obscuriorum sculptorum celo, quæq; in exteris
 Prouincijs factæ. Hinc conficio, felicem bea-
 tumq; hunc Iuuenem Deo hominibusq; esse ho-
 nori; quorum Religionem Reu. vestra augebit
 prodendo res eius gestas, quæ ijs qui huc vsque
 ignorarunt futuro sint exemplo, ijs verò qui
 scierint incitamento ad imitandum, Deiq; maio-
 rem gloriam procurandam. Pergat porrò Reu.
 vestra ornare quem Deus exornat, & in lucem
 educere, quem Deus palam posuit super candela-
 brum. Ego interea Deum venerabor, vt Reu. ve-
 stram, dum scribet, dirigat, eiusq; simillimum ef-
 ficiat. Erunt hi duo, Aloysius & Ioannes, duo
 Reu. vestre filij, Manasses & Ephraim: atque ita
 spero, hunc ultimo genitum capturum incre-
 menta, fructusq; facturum ad gloriam Dei, &
 Reu. vestre consolationem, vti scio primum na-
 tu attulisse Reu. vestre obliuionem laboris om-
 nis pro se expensi, quando tantus extitit Dei
 cultus, ipsiusq; Sancti veneratio à Vitâ Aloysii
 euulgatâ, quam Reu. vestra scripsit. Ita Deus
 Sancto-

*Sanctorum animas manifestat terris, quas in
 celo honorat. En, Pater, quo me traxit affectus,
 qui verbulo meditatus absolueret, bene longas
 litteras scripsi; condonet id Reu. vestra affectui,
 aut potius condemnet, qui de Iuvene virtutibus
 omnibus ornato tam pauca scribens; imbecillita-
 tem ingenij mei magis detexi, quam laudem il-
 lius, ut par erat, representavi, obrutus pondere
 meritorum. Louanij XVI. Aprilis M.DC. XXIV.*

Hæc ea sunt quæ de Vitâ Ioannis in Belgis
 actâ scribenda habui; nunc ad eam quam Ro-
 mæ egit, accedamus.



PARS

PARS ALTERA
VITAE

IOANNIS BERCHMANNI

*Quam egit in Collegio Romano, ex quo è
Belgis venit, ad ultimum usque
morbum.*



YROCINIO transacto, Ioannes
Antuerpian ad P. Carolum
Scribani, per id tempus Pro-
uincia Præpositum, missus, ab
eo admonetur de Philosophiæ
ac Theologiæ studijs Romæ conficiendis;
inde Diesthemium ex imperio profectus, pa-
trem valere iubet. Mechliniamque deuectus,
audit ex itinere patrem recens vitâ functum,
ei que iusta iam esse persoluta. Eo audito, ni-
hilo commotior animo, *Iam veriùs dicam,*
inquit, *Pater noster qui es in calis.* Fratribusq;
ac sorore, reque omni familiari, per litteras
commendatis fidei tutorum, ac Domini
Freimontij Canonici tum absentis, Mechli-
niâ Antuerpian reuersus est, Diesthemienfi
itinere reuocato.

*Moritur
pater Ioan-
nis.*

Antuerpiâ Romam discessit ix. Kalendas
Notuem-

Nouembris anno M. DC. XVIII. comitante
 Bartholomæo Pennemanno, egregiæ virtu-
 tis ingenijque adolescente, qui Romam vnâ
 cum eo ad Theologiæ studia ablegabatur.
 Sed is cum sanguinem spueret in Germanico
 Collegio cœpisset, Neapolim missus Medi-
 corum arbitrio, ibidem supremum diem
 clausit. Mirabatur Ioannes vnde sibi fors il-
 la obuenisset studendi Romæ in celeberrimâ
 illâ Societatis Academiâ, nihil admodum
 (vt sibi videbatur) habenti, quo beneficium
 tantum mereretur. Gaudebat autem, dum
 secum cogitaret, se Romæ visurum in primis
 Vicarium Christi, Ecclesiæ Catholicæ caput,
 Præpositum Generalem Societatis Patrem
 Superioremque suum; tot loca sancta, tam
 multiplices Sanctorum Reliquias, monu-
 menta Principum Apostolorum; illud de-
 nique particulatim, quod tumulos indige-
 tum nostrorum venerari Romæ posset; in-
 deque facilius sperabat in Chinas aut aliò
 ad infideles se amandari. Iter per Pari-
 sios Lugdunumque instituit cum socio: ac
 quamuis non amplius nocte vnicâ singu-
 lis in Domibus permaneret, quacumque ta-
 men iter faciebat, ita se eius virtus prode-
 bat, vt multis è locis in Urbem de laudibus
 Iuuenis litteræ sint dimissæ. Anno inse-
 quenti, dum per eadem Collegia iter ha-
 beret

*Romam è
 Belgio Ioan-
 nes profi-
 cisitur.*

*Quantum
 duxerit be-
 neficium
 Romæ stu-
 dere posse.*

*In itinere
 suo apud
 omnes bo-
 num odo-
 rem reli-
 quit.*

beret is qui fuerat Ioannis in Tyrocinio Magister, multi ei gratulabantur tam insigni discipulo, quem Tyronem instituisset, qui que tam egregiæ indolis specimen, tam suauem virtutis suæ odorem, quaquà iter tenuerat, latè dissipasset. Lauretum ambo venèrè peruigilio Dominici Natalis; visitatoque Sacratio illo, in quo Verbum diuinum humanis sese induit artubus, cœpit Ioannes cum Collegij Ministro agere de sanctimoniâ beati Aloysij Gonzagæ, deque suo quo ardebat visendi sepulchri eius desiderio narrare. Tum Minister particulam ei Reliquiarum beati Aloysij est impertitus; quam ille veneratione summâ iuxtâ ac gratitudinis significatione accepit. Nocte Natalem præcedente, etiamsi itineris longinquitate fatigatus, ætate simul conditioneque naturæ infirmus, interesse tamen voluit cærimonijs Matutinis, quæ Religione maximâ rituque solempni in Æde Lauretanâ peraguntur. Interfuit autem genibus perpetuò nixus, oculis nunquam sublatis, corpore immoto, tantâ religionis, tantâ collecti animi significatione, vt omnes conuersis in eum oculis rapti, mox etiam intentis digitis admirabundi alter alteri eum commonstrarent. Nonnulli considerato externo illo indolis habitu, suspicati ab eo de industriâ plus solito modestiæ sumptum,

*Reliquias
B. Aloysii
sibi datus
honorat.*

*Orantis
habitus ac
religio.*

ptum, credidère viri Principis alicuius esse filium, qui (vt aliàs crebrò Laureti fit) ad visitandam Ædem sacram venisset, alienâ veste personaque susceptâ. Matutinis precibus absolutis, auditoque mox Sacro, cælesti se cibo in Sacrario illo Mariano refecit, incredibili suâ consolatione. Biduo hîc ambo restitère, nec animum, quantumuis pascendo sacrae illius Domus parietumque aspectu, satiare posse videbantur. Reliquum denique iter *Romam cum socio attingit.* conficientes, Romam extremo Decembri peruenère. Cumque ad Professorum Domum diuertissent, à P. Mutio Vitelleco Præposito Generali, alijsque Patribus humaniter accepti, indidem Circumcisionis Dominicæ diem (qui festissimus est eius Domus Templo) agere iussi, deinde in Collegium traducti transcriptique sunt. Hîc Ioannes *Inter novos Collegas separato contubernio adscribitur.* secessit inter recentiores Collegas, qui, (vt mos est) Tyrocinio exacto, alterum præterea biennium, separato ab alijs contubernio, ad studia persequenda diuiduntur. Magistrum nactus est P. Franciscum Piccolomini, qui Philosophiæ cursum instituere cœperat à bimestri. Hic statim Ioannis se virtus singularis *Ioannis taciturnitas non minuit amorem, nec hilaritas seueritatem.* prodidit, qui suauissimis hinc moribus, hilarique naturæ indole ornatus, inde abductus in sese, silentij disciplinæque religiosæ amans, nec facilitate modestiam, nec seueritate be-
neuo-

nevolentiam diminuebat. Ioannes duos & viginti menses in secessu nouorum contubernaliū exegit; nouem alios menses veteranis Collegij alumnis conuixit, mox æger è morbo decessit. Per omne id tempus tantos in viâ spirituali progressus habuit, vt, si facultas mihi adesset tam clarè explicateq; eos ostendendi, non dubitarem, quin, qui vel tantillo tempore eum cognouisset, affirmaret in communi nostrâ vitâ iuuenem fuisse insolitâ ac planè eximiâ perfectionis. Ioannes namque, si aut vnâ innocentia, aut aliâ aliquâ virtute solum modò excelluisset, non adeò esset admirandus; sed multos etiam haberet in Societate non modò pares, verùm etiam fortè superiores. At quòd & innocentia vitæ, & reliquis quoque virtutibus omnibus excellerit, perindeque obtinuerit vniuersas, ac si singulas perfectè tantùm possedisset; res insolens adeò est ac noua, vt omnibus eam rem intelligentibus meritò adferat admirationem: cum id sit completum quoddam esse earum virtutum quas Theologi appellant Virtutes animi purgati; quæque, vt

*1. 3. qu. 61.
art. 1.*

Angelicus Doctor beatus Thomas censuit, non nisi in Cælitibus reperiuntur, aut certè in paucis aliquot hominum perfectissimis dum viuunt.

Atque illud est quòd vulgò in eo admirati sumus,

*Perfectio
eius in
communi
vitâ.*

sumus, perfectionem nimirum quam in om-
 ni virtute atque opere qualicumque osten-
 debat: nam & diuinæ gratiæ auxilio & labore
 constantissimo res omnes ad summam per-
 fectionem adducebat; vt qui opus aliquod
 facientem obseruasset, ipsumq; opus, ac mo-
 dum, rationemq; quâ opus faciebat, atten-
 disse, dixisset necessariò, id opus fuisse nu-
 meris omnibus absolutum. Ac si ijdem, qui
 externos eius actus videbant, penetrare quo-
 que potuissent ad internas virtutum actiones,
 quas operibus suis omnibus, ad afflandam ijs
 quodammodò sanctiorem vitam, inden-
 damque merendi vim, admiscebat, persua-
 sum mihi habeo, summam opinionem de
 eximiâ eius virtute bonitateque fuisse com-
 prehensuros; vt ego non potui non accipere,
 cum ille mense quolibet bis ad me sponte ve-
 niret conscientiæ suæ rationē vt Superiori ac
 Patri redditurus; quam tantâ detegebat sim-
 plicitate, vt nec interiores animi sui cogitatio-
 nes, propensiones desideriaue reticeret. Ac se-
 mel quidem, cum ille ad me referret, quæ
 Dei secum, quæ sua cum Deo esset consuetu-
 do, commemini me insolitâ perculsum admi-
 ratione (nullo tamen ei factò indicio) dixisse
 mecum: O felicē te, cuius tam gratus Deo est
 animus! O beatum Adolescentem, in quem
 Deus prærogatiuam contulit non illi absimi-
 lem,

*Perfectio in
 quolibet e-
 ius opere.*

D lem,

*Quàm le-
ues in Ioan-
ne reside-
bant culpa.*

*Qua causa
tam eximia
de Ioanne
opinionis.*

lem, quâ olim Adamum ornauit, cum primam illi gratiam, originalemque (vt vocant) iustitiam infudit; eo insuper præsidio cælestibusque donis adiunctis, quibus felicem illum innocentiam statum tueretur! Qualis opinio nasci de vno aliquo non solet, qui solâ innocentiam bonitateque communi pollet. Commisit quidem Ioannes, dum viueret, eas culpas, quas, dum viuunt, sanctissimi quique contrahere consueuerunt corporis huius sarcinâ onerati, pronique in malum. Et sanè qui dissentiret, censeretve contrarium, in errore versaretur, cum & Ioannes se accusaret, fatereturque peccare in multis; sed leues adedè erant quæ in eo residebant culpæ, vt oculos nostros effugerent, nec deprehendi omnino possent, nisi cælestis illius luminis fulgore, quo mens eius affatim erat illustrata. Illa quippe accurata diligentia, quâ ad res omnes aggrediebatur; perpetua illa vigilantia, quâ præsentissimum animum cuiicumque à se susceptæ actiunculæ afferebat, absolutum eum adedè perfectumque oculis nostris reddebant, vt qui minimum in moribus eius notarit peccatum, aut leuem in eius actionibus imperfectionem deprehenderit, reperiendus adhuc sit nemo. Quæ res adedè magna est, vt propria magis sit beatis mentibus ad cælestem portum appulsis, quàm miseris hisce

hisce exulibus, qui in vitæ fluctibus iactantur; debita magis felicitati Angelicæ, quàm mortali imbecillitati.

Ioannes, vti iam diximus, annos ferè quinque in Religioso nostro Ordine vixit, in quo, quæ Dei gratia est, floret, vt videmus, primus ille disciplinæ incorruptæ vigor, viuitque recens quædam ac viridis obseruatio legum. Philosophiæ studijs incubuit in Collegio Romano, in quo & iuuentus frequentissima, & tot Superiorum attentissimi oculi, qui perpetuò excubant, num ab omnibus leges mandataque obseruentur. Maximâ autem sollicitudine minimi etiam nâui, & leuissima quæque errata adnotantur, in iuuenibus præcipuè, quibus acriùs inuigilatur, vt constantes assuescant. Nemo tamen aut Superior, aut subditus, aut Sacerdos, aut Coadiutor, aut Magister, aut Scholarum alumnus, aut cubiculi contubernalis, aut studiorum collega, aut alius quispiam eorum omnium qui in Collegio degebant, eumque & videbant, & familiariter vtebantur, in eo vquam potuère deprehendere vel minimam imperfectionem, aut culpam quantumuis leuem, aut etiam impetum aliquem affectus alicuius præcurrentis (motus primos appellant) vel audire aliquod eius verbum superuacaneum, aut minùs præcogitatum.

Nemo vñquam vidit oculos attollentem liberius, gestus agentem immodestius, risus edentem solutiùs. Nemo in statu corporis, in motu membrorum, in curâ vestimentorum vidit incompositum. Nemo violentem filendi leges, dum filendum fuit. Nemo, dum per leges Latinè loquendum erat, vntem Italico sermone audiuit. Nemo vel temporis momentum inutiliter consumentem, vel otio transigentem obseruauit. Nemo notauit eum aut per respectum hominum, aut per occasionem, aut casum, limites vel minimæ legis fuisse transgressum. Ad summam, nemo vñquam vllius generis erratum ab eo admissum aduertit; quæ res quàm facilè narrantur, tam difficilè perficiuntur, nisi ab eo quem benignus Dei oculus perpetuâ vigilantia tueatur, & singulari ope auxilijsque extraordinarijs diuinæ suæ gratiæ iuuet. Erenim si vna aliqua virtus, perfecto in gradu obtenta, tantum per se valet, vt hominem reddat spectabilem, dignumque efficiat admiratione atque imitatione; facilè quiuis conijcere possit, quantum nobis admirabilitatis, Religionis simul ac gaudij attulerit, videre in vno hoc Adolescente collectam tot tam perfectarum virtutum inuicem nexarum concordiam, quæ dulcissimum suauissimumque perpetuò nobis

bis edebant concentum, omnibusque eum probabant similiorem Angelo esse cælesti, positum in gradu stabilis gratiæ apud Deum, quàm homini terrestri, peccatis miserisque inuoluto. Atque ut cuilibet constet, hæc res à me non commemorari vberius aut inflatius, cognoscatque, externas eius actiones, summâ perfectione factas, ab internis processisse virtutibus, quarum plenus erat eximius ille animus; præterquam quòd à me, qui eum manu duxi, affirmari propriâ scientiâ possit, placuit hoc loco duorum aliorum Patrum testimonia adferre, qui eius, ex quo Romam venit, donec moreretur, audiendis confessionibus operam dedere, possuntque procul omni religionis periculo sententiam dicere, cum quòd rem proferant in commendationem virtutis, tum quòd ille Confessarijs Superioribusque suis potestatem fecerit syngrapho scripto, sua omnia indicandi, & hæc syngraphi verba sunt: *Do facultatem, ut plene & liberè utatur hac scientiâ ex confessione.* Horum vnus P. Ioannes Baptista Ceccotti, vir (ut neminem fugit) præstanti vitæ integritate, nec scientiâ tractandi Religiosorum mentes, quàm peritiâ cælestium rerum excellentior, qui ei à Confessionibus & spiritus præfecturâ fuit per biennium, quo Ioannes in secessu degit, totque iam retrò annorum

*Testimoniū
Confessarij
eius P. Ioā-
nis Baptista
Ceccotti.*

spatijs eo loci id munus administravit, in hæc
verba loquitur: Ut morem geram Superio-
ribus qui iusserunt; illud verè de Ioanne
(quod ad interiora quidem illius attinet) af-
firmare possum, non fuisse mihi exploratum
animum vllum maiore puritate ac candore
præditum, quàm illius, vtcumque multorum
mentes, ex quo hoc munus gessi, pertracta-
rim: visa enim mihi est mens illa semper ali-
quid præ reliquis habuisse prærogatiuæ.
Non erant eius peccata huius generis, quæ
cùm naturâ suâ mortalia sint; tamen vel ob
leuitatem materiæ aut coniurationem con-
sensus, venialia vulgò censentur: sed huius-
modi solummodò erant, quæ & naturâ suâ
venialia sunt, & communiter euitari omnia
non possunt, in quæ à sanctissimis etiam viris
impingitur imbecillitate naturæ proclinatæ;
& huius quidem generis leuissima, neque de-
liberatò ab eo commissa, & pauca admo-
dum, ob exactissimam sui custodiam, quâ in-
res suas omnes externas internasque vigilan-
tissimè excubabat, perpetuo quodam con-
stantique vitæ tenore, quem numquam nisi
in melius commutabat: id quod à Spiritu
sancto haud dubiè proueniebat, qui sanctam
hanc animam peculiari quadam gratiâ possi-
debat. Erratorum suorum, etsi minimorum,
claram habebat cognitionem. Conscientia
erat

erat tenerrima, non tamen scrupulorum religionibus anxia aut angusta; ad amissim facta, ut eam depingit S. P. N. IGNATIVS libello verè diuino Exercitiorum, tractatu aureo de Naturâ scrupulorum. Quodcumque de perfectione docebatur, id omne non solùm imbibebat animo, sed reipsâ effectum dabat. Dum ego ex legum nostrarum præscripto contubernales illos nostros instruerem, notitiamque eis adferrem (quantum satis est) vitæ nostræ religiosæ ad summa quædam virtutum capita reuocata, secundùm normam triplicis vitæ, haustam ex ipsis fontibus Summarij maximè nostri communiumque Regularum; Ioannes noster summâ docilitate diligentiaque hanc meam institutionem excipiebat, nihil vel minutissimum omit-tendo, planè ut nescirem quid propriæ perfectionis nostræ in eo desiderare præterea possem. Vnde conficitur, perfectionem eius fuisse huiusmodi, cuiusmodi describitur in Summario & Regulis nostris: id quod vnusquisque ita intuebatur, ut etiam certâ fide testari posset, quemadmodum ego id significantius affirmo, qui interiore quadam ratione diu cum illo consueui, & cominus cælestium gratiarum thesauros deprehendi, quarum plena erat mens illa cælestis, in quâ nullâ vquam indomitam propensionem, aut effre-

nem animi motum obseruauī. Amabant eum domestici iuxta atque obseruabant perinde ut Angelum paradisi: eaque erat ipse bonitate, ut in nemine unquam vitium aliquod notare posset; quā ego re summopere delectabar. Externa eius modestia atque habitus, quo Religionem afflabat intuentibus, imago quaedam erat internae compositionis à quā ipsa nascebatur; quamquam non paulò excellentior erat interna prae eā quae exteriorius eminebat. Plura de innocentissimo Iuene non adfero, quia verba deficiunt volentem pro merito ac dignitate exprimere eam existimationem, quam de Angelicā puritate innocentiaque tam beati Fratris concepi. Equidem religiosè credo, felicem illum animum, dum è corpore migravit, ita discessisse expiatum, ut recta conuolarit in caelum, nullo igne Purgatorio tactus, multis cumulatius meritis, ob insignem Regularum nostrarum obseruationem, vniuersaeque illius perfectionis, quam à nobis exigit Ordinis nostri Institutum: neque memini vidisse me unquam obseruationem maiorem accuratioremque illā, quae in eo elucebat. Ita censeo, asserendae veritati subscriptus,

Ioannes Baptista Ceccotti.

Alter testis virtutum actuumque internorum Ioannis nostri est P. Thomas Massucci,
Colle-

Collegio Romano à Confessionibus, & rerum sacrarum Præfecturâ, vir in paucis doctus, omniumque opinione exemplar quoddam spectatæ vitæ. Is in hanc sententiam scribit:

Obedientiæ sanctæ imperijs iussus ea scribere, quæ commeminissem de spectatissimis virtutibus sanctisque moribus optimi Fratris nostri Ioannis Berchmanni, quantò & è Dei gloria, & è bono nostro videbar obstrictior, etiamsi non interrogatus de eo loqui, cuius conscientia arcana tractavi extremo vitæ anno ab ineunte Ianuario anni M. DC. XXI. vsque ad Augusti diem, in quo, uti meritò credimus, è terris ad Superos commigravit. Per id tempus hebdomadatim semel aut sæpius ad me ventitabat sui expiandi causâ: singulis verò mensibus minimum semel rationem reddebat conscientia suæ, ferè descripto, quo breuissimè adnotata continebantur quæ habebat indicanda: neque unquam præscriptum huic rei diem aut horam, quæ erat confitendum, intermittebat, sed primus ferè eò accurrebat. Hac fretus cognitione, videor securè testari posse,

Primò, nouisse me Iuuenem nullum, secundùm beatum Aloysium Gonzagam (quocum vixi, egi que familiariter vltimo vitæ eius anno in Collegio Romano) vitâ spectabilio-

*Testimoniū
P. Ioannis
Massucci
Præfecti
spiritus, &
Collegio
Rom. à Cō-
fessionibus.*

biliores, conscientiam puriores, aut perfectione excellentiores, hoc Ioanne nostro.

Secundo, fuisse illi propositum pro vitæ religiosæ scopo, omni omnino virtute excellere, omnem progressum quem posset, in studijs facere, non aliam quam maioris gloriæ Dei & lucri animorum causam, atque ad respondendum gratiæ & spiritui vocationis nostræ.

Tertio, usum esse ad hunc finem suum assequendum, Regularum nostrarum observatione, instar medijs cuiusdam vniuersalis: quæ in re absque omni importuna scrupulorum religione longè erat accuratissimus, ut ne vnam quidem (quantumuis multæ ac variæ Regulæ sint) deliberatè violaret: neque eo solum tempore quo animum eius excoluit, sed reliquo etiam quod in Religiosâ vitâ duxit: quinimò vniuersæ vitæ cursu non modò non habuit peccati vllius mortalis conscientiam, sed nec venialis cuiusquam saltem voluntate admissi; quæ res refert sanè plurimum, cum arguat seruata ab eo mentis integritatem quam in Baptismo velut candidam vestem iuduerat; perfectionemque perpetuam, quæ à principio ad extremum usque virtutum spatia decurrit; quæ prerogatiua paucis, quamuis eximie sanctis, est concessa.

Quar-

Quartò, in seruandis tribus Religionis votis adeò circumspiciebat, vt nihil vñquam cuius se hñc accusaret, seu graue seu leue reperirèt; speciatim verò castitatis tam rigidus fuit custos, vt credam eum nec motu vñlo contrario, nec oblato per somnum phantasiæ spectro, vñquam fuisse stimulatam, quantum quidem colligere possum, habitam illius temporis ratione quo præfui conscientiam eius dirigendam, cum apertissimus illi simplicissimusque esset animus; index etiam minimarum rerum, qualem sibi semper fore libello scripto promittit: *Ero sincerissimus, apertissimus, & sicut aqua purissima cum Superioribus & Patre spirituali.* Neque mirum, ad tam excelsum puritatis gradum eum aspirasse, cum in tantam vitam innocentiam diligentissimè sensus suos custodiret, constanti temperantiam perpetuaque sui afflictione; neque mentem, nisi studijs fortè districtam, vllam aliam quam Dei contemplatione, rerumque sanctarum negotijs impediret.

Quintò, è meditationibus quotidianis tantos cœpisse fructus, vt, æstimato intellectu eius lumine, affectuumque feruore, quibus ab aurora in vesperum ad vitam religiosam obseruationem, perpetuamque virtutum exercitationem adnitebatur, ego semper existimauerim fuisse eum perpetuam gratiam constantiam

stantiâ communitum; hoc est, adeò circumseptum præsentè auxilio opeque diuinâ, vt integrum illi ferè non fuerit desinere penitus cum virtute agere, quo in statu, donec è viuus ad immortales transiret, perseverauit.

Has, aliasque res quæ Historiæ huius decursu narrabuntur, affirmat Pater Thomas Massucci.

Inter cetera de Ioanne testimonia videtur & illud non iniuriâ suam quoque locum vindicare, quod de eo dixit illius in Philosophiæ disciplinis tradendis Magister P. Franciscus Piccolomini, cum quo familiariter suas diuinarum rerum rationes eâ re communicare solitum se Ioannes ipse mihi narrauit, quòd videret illi Patri cordi esse, vt auditores sui Religiosæ vitæ integritate florerent, illudque studere, ne minùs virtute pietateque proficerent, quàm studio rerum Philosophicarum. Hanc ob rem facultatem à Superioribus impetrarat (quoties ad Magistri cubiculum itabat) proponendi quæstiones, non solum de controuersijs studiorum, verùm etiam de vsu cælestium rerum: quod ille magnâ Patris delectatione faciebat, qui virtutum eius exquisitam præstantiam admiratus, gaudebat scilicet gratulabaturque tam sancto discipulo, qui sibi ad pietatem esset incitamento, ceteris collegis exemplo. Ac primùm qui-

quidem, cum post eius mortem in triclinio ex altiore loco de virtutibus rebusque ab eo gestis ad nostros dixisset, deinde rogatu meo testimonium etiam litteris consignauit, quo strictim initio vniuersales quasdam, sed momenti magni, sententias præmittit; deinde speciatim ad eius bonitatem ac virtutem descendendo, sic dixit: Cum mandatum mihi sit auctoritate Maiorum, ut ea vniuersim in medium proferam, quorum de beatæ memoriæ Fratris nostro Ioanne meminissem, id verò lubens volensque facio, non tam ut testimonio meo certitudinem atque auctoritatem virtutibus eius conciliem, quam ut specimen aliquod præbeam summæ illius opinionis obseruationisque, quâ semper erga eum fui, suspiciens in terris Iuuenem instar Angeli de cælo lapsi. Et quantum quidem ad animi interiora attinet, quoniam ille (seu demissionis aut instructionis suæ, seu pudoris mei causâ) eorum participem me esse voluit, illud ante omnia affirmo, triennio, quo Philosophiæ spatia confecit, quoque continenter mecum versatus, in cubiculum meum quotidie semel aut iterum familiariter ventitabat, numquam vel publicè vel priuatim à me obseruatum in eo defectum vllum quàm leuissimum, sed è contrario modestiam præcipuam, perpetuâ quadam vultus morumque constan-

*Testimoniū
Magistri de
Ioanne.*

constantiam adstrictam. Deinde, neminem vidisse me fateor adeo caelestibus rebus imbutum, adeoque facile ac veluti suapte naturam obijcientem se praesentiae Dei, & quod maxime admirandum, simul tam praesentem sibi attentumque ijs, quas agebat, rebus, & domesticis omnibus ad quaecumque obsequia promptum. Tertio, nullum id aetatis noui tam capacem arduissimarum cogitationum, aut tantam Dei cognitione atque arte exercendae Religiosae perfectionis praeditum. Quarto, neminem reperi qui in vulgari communi que nostra vita minus haberet rei vulgaris aut communis, qui que magis ad viuum exprimeret effigiem verarum virtutum, singularisque illius perfectionis quae in priscis Religionis nostrae Patribus elucebat, quorum vitas resque gestas nemo, quod sciam, illo exactius conabatur imitari. Quinto, non solum constantem sese in re semel susceptam praebere, sed & noua quae excogitabat, adiungebat semper sui promouendi causa; prorsus ut cum aliquando ad me referret quid rerum ageret a primo diei exordio, quantumque continenter adderet rerum nouarum, liquidum ei affirmari, haud diu ita perseveraturum, si praecipuis solummodo rebus intentus, omissa illa rerum minutarum cura non desineret a se, animoque suo, studijs
adeo

adedò fatigato, tot simul alias res tam exquisitè accurateque exigere. Et euenit certè breuè quod fore prædixeram. Atque hæc generatim ad Dei gloriam de seruo eius Ioanne dicta sunt.

Adducere possem auctoritates plurium Patrum vitæ doctrinæque claritudine spectatorum, qui verbis longè clarissimis expresse-
runt, quàm excellentem de eximiâ Ioannis virtute ac perfectione habuerint opinionem: at quoniam viris bonis ac sapientibus ea testimonia, quæ iam allata sunt, sat multa esse possint, supersedere reliquis producendis visum fuit. Vnum tamen præ reliquis superest P. Cornelij à Lapide, viri quâ auctoritate, quâ librorum vulgatorum multitudine clarissimi, quod præterire nec debeo nec volo.

Hic enim vt fuit Ioanni intimus, sic copiosum præclarumque de eius innocentia, virtutibus ac sanctitate testimonium Latine dixit. Quod quia fortè optabunt multi, ijs ipsis quibus scriptum est verbis, legere; placuit non hoc loco, sed extremo Libro subiungere.

Interrogare non nemo possit (quod ad *Quâ viâ ad perfectionem contendet.*
rem nobis propositam maximè spectat) quâ viâ quibusque præsidijs Ioannes ætate tam tenerâ ad tam excelsum perfectionis gradum aspirauit. Cui respondeo illis ipsis verbis, quæ
Chri-

Christus Ioanni Baptiste reddidit, cum aquis ille Christum tingere recusaret: *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Addeoque & illud, Fortunatus hic Adolescens *implevit omnem iustitiam*, quantum nimirum humanæ conditioni licet: ea omnia perfecit, quæ in virtutum viâ fieri posse cognorat, neque vllam perfectionis partem (quam quidem diuinæ opis præsidio assequi se posse credidisset) negligebat. Neque vquam aut à cœpto perfectionis tramite retrò se recepit, aut in eo restitit, sed semper magnis passibus de bono in melius, de virtute in maiorem perfectionem est progressus. Quod vt facilius perspiciatur, minutatim res eius gestas, virtutesque quas ab eo notatas reperi, recensebo: vnde haud magno negotio discere poterunt Iuvenes nostri, quâ viâ ille incesserit, quâ item eum imitari possint.

*Proposuit
numquam
venialiter
peccandi,
aut Regu-
lam vllam
violandi
scienter.*

num, stabili fundamento integritatis in Baptismo acceptæ (cuius ille gratiam numquam, vt dictum est, effudit) adiunxit constans decretum, numquam (quod sciens volensque faceret) admittendi vel minimam venialis peccati noxam, aut vllius generis leuissimam labeculam, aut violadæ, per quamcumque occasionem, vllius, etsi minimæ legis, aut mandati Superiorum. Huius firmissimi decreti cum in sermone meminisse eum audiui

audiui sæpiùs, tum etiam scripto frequenter
his verbis fecisse mentionem deprehendi:

*Mori priùs millies, quàm vel leuissimo peccato
me obstringere. Summâ diligentia ab omni sem-
per veniali noxâ abstinere. Quantâ potero ani-* Proposito-
rum tenax.

*mi contentione, euitabo perpetuò quemcumque
vel paruum defectum. Mori potius, quàm vel
unicam violare Regulam. Priùs valetudinem,
quàm minimam aliquam Ordinis nostri legem
pessumdare.* Atque hæc ab eo retenta fuisse

constantissimè, quoad interiora quidem,
constat affirmatione eorum qui audiendis

eius confessionibus, curandoque animo ope-
ram dedere: quoad externa autem, indicio

Patris illius, qui Collegij Romani res dome-
sticas administrabat, ad quem pro muneris

parte domesticorum erratorum spectat cog-
nitio ac censura, qui hæc de eo testata reli-
quit: Numquam notavi aut accepi vllam ab

eo Religionis Regulam fuisse violatam, ne-
que vquam in vllò eius opere labeculam

obseruavi, quin contrà, eius facta omnia
sanctimoniam Religionemque redolebant;

quod ipsum complures affirmauere iurati.

Quidam verò è Patribus vir grauitate iu-
xtà ac doctrinâ insignis, tantæ in Adolescen-
tulo perfectionis admirator, deditâ operâ

aliquando obseruare acutissimè cœpit, num
defectus alicuius compertus, quo à summâ

E illâ

*Testimoniũ
P. Ministri.*

*Testimoniũ
P. Thomæ
Bisdomini.*

illâ perfectione aut inter loquendum aut agendum disputandumve recessisset, reprehendi posset (quibus scilicet in rebus, nisi quis ad amissim perfectus sit, procliuissimus est lapsus) numquam tamen in eo vel erratum leuissimum, ne aduersus eutrapeliam quidem, obseruare potuit.

Eius in contubernio separato obseruantia.

Quamdiu seorsim in nouorum Collegarum contubernio vixit, vt erat viuum quoddam omnibus exemplar, atque imago obseruantiaë religiosæ, sic omnibus longè charissimus extitit eius conuictus. Nihil opus Superioribus fuit eum rei cuiusquam admonere; quin menses totos in officio permansisset, nullius monitis excitatus, tam erat in virtutem suâ sponte procliuis. E separato illo iuniorum contubernio numquam nisi potestate egrediebatur, numquam foras proeundi, aut huc illucve eundi facultatem petebat. Munera obibat omnia, nullo vniquam recusato. Numquam, dum inter iuniores collegas ageret, cum vilo veterano; dum inter veteranos, cum vilo iuniore Superiorum iniussu collocutus est. Fortè è vineâ suburbanâ die aliquo feriato duobus cum iunioribus reuersus, incidit in duos veteranos, qui officiosè eos inuitabant ad secum vnâ ambulandum; at Ioannes, obseruatione ordinis inter nouos veteresque discreti, abnuuit scilicet
atque

atque excusauit. Contubernio iuuenum de-
ductus, cum Pater quidam Belga, Belgam p. Ioannes
Brisselius.

adolescentem, Ioannis nuper in Belgio inter
Tyrones socium, tunc Romæ separato iue-
num contubernio adiunctum, alloqueretur
in Professorum domo; Ioannem fortè præ-
tereuntem conspicatus appellat, vt præfente Guilielmo
van Aelst.

altero paucis cum eo agat: at ille, legis obten-
tu, modestè vitare sermonem; dumque alte-
rum abs se dimisisset, polliceri se locutu-
rum. quo exemplo Pater mirè acquieuit. Ab
alio Sacerdote interrogatus, quamdiu cum
illo suo socio non esset collocutus; respon-
dit, ex quo seorsim degere desijisset, quòd iu-
uenum colloquio veteranis sit interdictum.

Dicitabat quasi per facetiam, optandum Quis ex-
sistat fru-
ctus è pœnis
obitis quas
Superiores
iniunxere.

esse, post admissam culpam à Superiore vo-
cari ad pœnam, quòd videretur tum quisque
securior esse posse, pace nimirum cum Supe-
riore conciliatâ. Finito separati conuictus
spatio, nihil eius rei Superiorem admonuit,
eâ curâ scilicet Maioribus, dum vtrò mone-
rent, relictâ; sed quo die contubernium iu-
niorum deseruit, attulit Patri, qui eorum
præfuerat moribus, schediolum quoddam
plenum asperitatibus, orationibusque ab eo
gratitudinis ergò persoluendis, obtestatus ea
sibi monita discedenti daret, quæ salubria si-
bi in posterum fore censeret.

*Mira legū
obseruatio.*

Etiamſi contubernij legibus ſolutus, earum tamen rerum facultatem ſibi fieri à Superioribus obſecrabat, quas alius quilibet abſque omni Religionis metu credidiſſet (nullâ factâ Superiorum poteſtate) uſurpare ſibi licuiſſe: & verò illud eius, quod iam nar- rabo, factum arguet quantę fuerit erga res et-

*Inſigne ob-
ſeruantia
exemplum.*

iam tenuiſſimas obſeruationis. Cùm poſtre- mùm vnà cum ſodalibus in ſuburbanam vi- neam prodiiſſet, pertranſeundo ambulatio- nem quamdam, cuius latus ornabant nuces auellanæ, quæ lectæ clauſæque à vinitore iam erant, quidam è collegis, cui Ioannes in- terior erat, auellanam vnã fortè in arbore relictam conſpicatus, decerpiſit: & ſtatim Ioannes (memor legis de non legendâ fruge in vineâ) Ecquid agis, inquit, mi frater? Alter

*Conſilium
obſeruan-
tia ſeruan-
da.*

ridendo reſpondet, nucibus iam lectis reli- quas, ſi quæ fortè manſiſſent, videri cuius reperiendi permiſſas; & credere ſe eam uſuca- pationem non eſſe lege interdictam. Viſa Ioan- ni proba exceptio; ſed humeris aliquantum adductis, Ego tamen, inquit, non facerem, neque perſugerem ad id genus interpreta- tiones.

Hæ, aliæque res quibuſdam, quas ſua molliùs habet conſcientia, ridiculæ fortè vi- debuntur, ac nimix cuiuſdam ſuperſtitionis: at certè viri cæleſtium rerum uſu aſſuefacti,
religio-

religiōsæq; perfectionis studijs intenti, gemmarum instar in reliquis virtutum ornamentis eas æstimabunt, habebuntq; ut indices certissimas candidæ cuiusdam ac rectissimæ mentis.

Solent Superiores, nouis incidentibus rebus, noua quædam consulta decernere, quæ in triclinio ferè promulgantur. Comperio à Ioanne notata exceptaq; tabulis ea omnia, quæ per id tempus, quo in Romano Collegio degit, fuere edicta, memoriæ gratiâ & obseruationis. Quidam, qui eodem cum Ioanne cubiculo utebatur, aliquando ei indicauit, in animo sibi esse petere à Superioribus rei nescio cuius vetitæ facultatem. Dissuasit Ioannes, & Ego, inquebat, non peterem; cum quia non esse necessaria videatur, tum quòd adduci non possim, ut rem vllam aut lege aut iussu interdictam efflagitem. Addebatq; se semel atque iterum non leui fuisse religione commotum, quòd obsequentiâ Magistri sui potestatem impetrasset festo aliquo die manendi domi, nec audiendi lectionem quæ in Æde I E S V habebatur: adductus hoc argumento, quòd Regula iubeat frequentari conuersionem aut lectionem quæ habebitur in Templo nostro: Templum autem I E S V, communi loquendi vsu non accipi pro Templo Collegij; cum aliud proprium Collegio

Observantissimus omnium legum ac iussionum.

Templum sit, atque etiam (licet Synaxis sacra diebus Festis hic obeatur, ibi verò concio conuocetur) nihilominus in Collegio examen conscientiae signo consueto indicatur, quod moribus nostris non permetteretur. E contrario tamen videri, Ædem illam cense-ri instar Templi Collegij, quando iri eò solitum est, ad audiendam concionem aut lectionem. Sed ego, inquiebat, edoceri me certius curabo, ac si quidem lege teneri comperero, numquam in posterum licentiam petiturus sum. Quo clarè æstimari possit, quàm ille mordicus Regularum obseruationi inhæreret. Nam & inter ea quæ sibi tamquam principia quædam statuerat, hæc quoque sententia comperitur: *Odisse ut pestem dispensationem in Regulis.* Neque sane deinceps priuilegio vlllo generali huius illiusve rei pro arbitrio gerendæ aut omittendæ eximius haberi voluit, quòd sentiret scilicet, minore periculo ac maiore merito, quotiescumque res ferret, facultatem submisit indifferenterque à Superiore flagitari. *Non facile petam, inquit, facultatem generalem pro aliquâ re.*

*Odit per
priuilegia
legibus exi-
mi.*

Festo Parentis nostri IGNATII die, cum Sacro interfuisset, quod in Æde IESV fuerat solemniore ritu peractum, reuertentem ad Collegium comes interrogat per viam, ecquam præcipuè gratiam à beato Patre flagitasset.

tasset. Oraui, inquit, in Societate mori, nullâ *Amor Regularum.*
 umquam Regulâ violatâ. Præstò ei ante oculos perpetuò erat Regularum liber apertus,
 in museoli sui mensâ; aiebatque, mirè se acquiescere insigni Romani Collegij disciplinâ, in quo permagni æstimari sentiebat minimarum etiam Regularum obseruationem. Atque illo præcipuè simul delectabatur, videre tot Patres Fratresque tempore colloquij à mensâ concessi, aut in horto, aut in conclau, aut alijs locis suauiter ambulantes, religioseque colloquentes; mox nolæ vnius signo admonitos, momento silere omnes, verbis etiam dimidiatim abruptis, silentioque quemlibet redire in cubiculum suum, nullo cuiusquam audito per viam verbo. Sed quàm sancto affectu leges ille, vt normam quamdam veræ sanctitatis perfectionisque diuinitus sibi datam, complecteretur, vel eo cognosci potest, quòd omni vesperâ cum dormitum se conferret, (rem nouam, ac mihi quidem inauditam) religiosus Iuuenis librum Regularum singulari quodam pietatis sensu subijceret capiti suo; ac tum quietiore animo arctiorem somnum sibi capere videretur; moribundus verò, eundem librum adferri iussum, manibus tenere vellet, vt suo deinde loco diceretur.

Enimuerò si vigilans semper Ioannes fuerit

in abstinendo se omni cuiuscumque leuissimæ Regulæ violatione, at longè certè diligentissimus circumspèctissimisque fuit in se custodiendo aduersus umbras etiam earum labecularum, quæ vel remotè castimoniam obscurare possent: scriptumque reliquit, perpetuis se execrationibus abominaturum vel minimas noxas, quæ honestatis virtuti castimoniamque aduersarentur; vt sunt ciborum lautiorum appetentia, ingluuies, oculorum quæ domi quæ foris incauta licentia, similiaque libidinis irritamenta. Reuerà enim (vt dicebat) qui impurus fit, peior dæmonijs omnibus efficitur. Sic habent eius verba: *In æternum etiam leuissimas imperfectiones contra castitatem tendentes, vt propensionem in cibos, incuriam in oculis tam domi quàm foris custodiendis, detestabor & execrabor; quia reuerà, qui fit impurus, nequior fit omnibus diabolis.*

Ad hanc puritatem tuendam, magnæ semper illi cum intemperantiâ inimicitia intercessere, adeoque eam castitatis hostem, & earum quibus condiri oratio solet deliciarum corruptionem appellabat: dicere consuevit, nullâ re aliâ (secundum impudicitiam) offendi à Religiosis saculares magis, quàm si eos in ingluuiè videant proiectiores, audiantque de cibo & potu sepius loquentes.

Atque

Atque hæc litteris verba commendauit: *Vitium gulae est immoderata ciborum appetentia, eiusq; vitij actus sunt, frequens de cibis cogitatio ac sermo, fastidium communium, studium exquisitorum, edendi ratio inconcinna, cum nimia auiditate ac celeritate coniuncta.* Ipse sane modestè admodum vesceretur, moderati Eius in victu ratio. semper cibi, parcaque potionis, sed abstinentiæ ferè immodicæ, vt vix parabili victu ad implenda naturæ desideria defungeretur. Numquam à mensâ surrexit, quin eorum quæ sibi fuerant apposita reliquum quidpiam fecisset. At quoniam, florente crescenteque primùm adolescentiâ, natura, vberioris nutrimenti indiga, subinde appetentiam illi extimulabat; ille eo sensu vexatus, incusabat se scilicet vt intemperantiæ reum, acriterque inuigilans, in se quærebat: neque intelligebat optimus Iuuenis, non tam ingluuiem esse, ac quamdam appetentis egentisque naturæ necessitatem. Atque illa suâ opinione constrictus, plus semper sibi accidebat subtrahebatque indies, vti vigore naturæ paulatim extincto, penitus contabuerit. Nullo vniquam, quantumuis specioso, sanctitatis titulo adduci potuit, vt præter vulgare obsonium quidquam in cibum adhiberet: dicebatque, se sperare Deo cordi fore vt communia non nocerent, quando ijs vteretur,

E s retur,

retur, ne discederet à communi vsu. Etiam si verò stomachus ei naturaliter à quibusdam (vt à caseo, quo non vescebatur) abhorreret, eo tamen ita abstinebat, vt nihil sibi apponi eius loco sustineret.

*Iudicium
eius do-
stodiâ ocu-
lorum.*

Iam oculos (quod alterum caput erat) ita in officio tenebat, ac tale cum ijs pepigerat fœdus, vt numquam terrâ eos attolleret, nisi ratione aut necessitate cogeretur. Eâ re numquam (nisi principio, ad internoscendum) eos aspiciebat quibuscum loquebatur: ad Magistri verò cubiculum quoties itabat, quòd iam nosset quem conuenturus erat, numquam, nisi deiectis in terram oculis, accedebat. A naturâ comparatum est, subitis nouisque in casibus eò oculos conuerti, vnde strepitus exauditur: at Ioannes ne tum quidem commouebat sese. Affirmant complures iuuenum externorum, qui scholas cum eo frequentarunt, deditâ operâ sæpius diuersâ se Gymnasij parte sonitum esse machinatos, vt eam in partem oculos eius aduocarent, sed numquam euenisse, Scripto expresserat, aspectum mulierum instar basilisci euitandum. Nec earum modò, sed & virorum intuitu domi forisque interdixerat sibi: tamque depressos continenter gerebat oculos, vt ne, siquidem qui quotidie familiariter eo utebantur, cuius demum coloris eius oculi essent (quòd num-

*Virorum
iuxta ac
mulierum
aspectu se
abstinet.*

numquam eos videre licuisset) indicare possent. Et plures cordatè mihi affirmarunt, sapiùs se in illum & diu fuisse intuitos, eo studio, vt quales haberet oculos, obseruarent, nec potuisse deprehendere, cùm oculos eo temporis spatio non sustulisset. Rogatus ab eiusdem cubiculi sui contubernali, vt quid faceret animo semper ad se reuocando, segregandoque à mortalibus rebus; respondit: Præsentissimum remedium, fida cordis custodia (quæ cùm obtineri non posset, nisi frenati sint oculi) oculorum insuper perpetua in potestate retentio.

Atque hos subigebat non solùm auocando ab aspectu hominum, sed ab intuitu etiam rerum omnium exquisitarum, quo pacere eorum curiositatem dedignabatur. Allegatus aliquando ad Seminarium, dramatis spectandi causâ, non abnuitt quidem, vt sese imperijs accommodaret; sed eâ compositione modestiaque in subsellijs confedit, vt ne oculum attolleret: quo notato, Nobilium quispiam, qui remotiore è loco spectabat, obstupefactus scilicet, proximè assidenti in aurem insurrat: Profectò hic Pater est sanctus. Numquam adduci potuit, vt hortos vineasque, quæ Romæ in admiratione sunt, vllasve res alias novas inspectum iret: ne sollemnes quidem illas equitationes, quibus crebrò

Rerum nouarum aspectum vitat.

crebrò Romæ Cardinalium, Principum, Legatorumve aduentus insigni pompâ excipiuntur : in quas si fortè ex itinere incidisset, præteribat oculis in solum fixis. Pontificem maximum recens creatum dum ad D. Ioannis in possessionem mittitur, Sacerdotes ceterique nostri præ Domus Professæ ianuâ operiri solent, flexisque genibus supplicabundi, summissionis ergò, Apostolicam ab eo postulare imprecationem. Huc vnà cum collegis reliquis Ioannes missus erat, præteruehente GREGORIO XV. rogatusque à comite cum rediret, Ecquid ei arrisisset splendidissima illa Equitatus pompa; Equidem, inquit, non vidi, quia priores, post quos latui, spectanti mihi offererunt; reuerà autem, spectaculo illo neglecto, dederat se ad orationem. Numquam à sodalibus persuaderi potuit, ut vel ad spectandas cærimonias, quæ Romæ Pontifici Maximo recens creato in D. Petri adhibentur, vel ad spectacula vlla videnda prodiret: acquiescere se dicebat vnâ visâ Supplicatione, quâ Pontifex circumtulerat sanctissimam Eucharistiam. Tantâ erat despicientiâ rerum externarum. Venerat in Collegium Romanum Cardinalis Sabaudia Princeps, utque à nostris honorificè acciperetur, Ioanni inter Adolescentes, qui suâ quisque linguâ erant peroraturi, obuenerat munus

nus

nus suâ quoque Belgarum linguâ dicendi; atque oratiunculâ suâ absolutâ, neque confesum illum spectandi, neque alios post se oraturos audiendi cupiditate pellectus, vel momento restitit; sed quàm mox adito rogatoq; Viceministro num quid se vellet, aut suâ in purgandis aut eluendis culinæ lancibus operâ opus esset. Cùm non esse respondisset, ille in Templum protinus ad orandum se recepit.

Dominicis omnibus Festisq; diebus in Ædem se IESV conferebat audiendæ lectioni. Ingressus statim certo se in Templi angulo componebat ad orandum, flexis genibus, oculis in terram deiectis, corpore penitus immoto dum Vesperæ finirentur. Genuentis aliquis domi Nobilis (eâ re sæpius exploratâ) Iuuenem non sine delectatione observabat, & Sacerdotem quemdam nostrum, ciuem suum, ita percunctatur: *Quâ causâ,* P. Ignatius Lomellini. mi Pater, existimas me huc venisse? Opinor, inquit Sacerdos, Vesperarum causâ. *Quinimò,* ait ille, Iuuenis illius videndi causâ, qui omnibus huc Festis ventitat, eoque se loco tenet orans, curuatis genibus, quietè, modestiaque tantâ, vt nec oculos semel attollat. Equidem de eo tam excellentem opinionem habeo, vt credam esse Adolescentem sanctum: nam cùm in sacrâ Æde hos videam

Musica

Quo corporis habitu oravit in Templo.

P. Ignatius Lomellini.

Musicæ audiendæ attentos, illos huc illuc circumspicientes, alios confabulantes; solus hic Iuuenis orat eâ modestiâ, eoque corporis habitu, vt sanctus mihi esse videatur.

*Modestia
Ioannis.*

Hanc oculorum verecundiam cum insigni morum gratiâ moderationeque actionum omnium, seu staret, seu incederet, seu rem aliam ageret, coniungebat: planè vt nonnulli dicerent, scriptas ab IGNATIO Modestix Regulas, si interijssent, vel in Ioanne denuò potuisse reperiri; adeò Modestix ipsius imaginem præ se ferebat. Aiebant alij, etiam si cælestis aliquis genius, humanâ carne vestitus, hominis membra induisset, non fuisse maiore modestiâ vsurum: tanto ad eam studio Ioannes incubuerat, vt & summo in gradu obtineret.

Affirmavit aliquando sodali cuidam suo, timere se, ne in modestix leges peccaret, plus nimio demittendo caput; obtestatus vt aduerteret an aliquando erraret, moneretque, pollicitus serio se esse emendaturum. Quod verò certius perfectissimæ laudis huius argumentum, quam quòd commilitones ei nomen imposuere Patris Modesti, ac Modestissimi, tantaque cum voluptate spectare sint soliti per atrium transeuntem redeuntemque è scholâ, vt eo spectaculo sæpius retinerentur? Adeò certè modestiâ eius excitaban-

tabantur, vt illius precibus, aliorum Patrum rogatu commendari se flagitarent. Cùm verò positas de Philosophiâ quæstiones extremo studiorum cursu propugnaret, quidam ex ipso Theologicæ scholæ limine (in quâ disputandum erat) in cathedrâ stantem conspicati, iucundè inter se capita conferentes, Heus, aiebant, Theses tuebitur Modestissimus Pater noster, quin horâ vnâ alteraque capimus voluptatem eius intuendi?

Post mortem reperi schedam, sic ab eo de modestiâ scriptam: *Modestia virtus est, quæ motus omnes animi corporisq; cum honestate ac decentia moderatur. Eius virtutis actiones continentur Regulis à B. P. Ignatio de modestiâ scriptis. Incitamenta quæ ad eius observationem inuittant, ista sunt: Primum, Imitari modestiam verecundiamq; B. Virginis, quæ adeò his virtutibus excellebat, vt eâ conspectâ dixerit Dionysius Areopagita, nisi aliter per fidem esset edoctus, pro Deâ illam fuisse veneraturum. Secundum, S. Ignatius multis lacrymis quæ de modestiâ reliquit præcepta septies irrigauit. Tertium, Immodestus iniuriam facit Passioni Christi, qui nostram scilicet immodestiam, membrorum suorum omnium cruciatibus expiauit. Quartum, Immodestus, Matris nostræ Societatis, cui nos cordi adeò sumus, pudorem onerat, letitiam corrumpit, formamq; commaculat. Quintum, Dei vnde.*

undequaque presentia modestos continere nos debet. Sextum, Modestia singulari quamdam gloriam singulis membris nostris conciliamus. Septimum, S. Franciscus Xaverius, quod adolescens inter aequales gregalesq; suos saltu libenter se impigreque exercens, aliquando corporis agilitate nimium sibi placuisset, brachia coxasq; arctissimis funiculis constrinxit, ut ei nimirum condolerent, cum pedes etiam conficeret iter. Octavum, S. Thecla sententiam capitis expectans, numquam oculos attollere voluit, pro modestia, verita circumstantes intueri. Nonum, Religiosus quidam coactus vado flumen transmittere, dum pedes nudare pro verecundia trepidat, prodigiose in alteram se ripam transportatum sensit. Denique, beatissima Virgo per visum puella Muse apparens cum insigni beatarum Virginum coetu, quem Musa imitari cupiebat, eam iubet abstinere risu, iocis, alijsq; crepundis puerilibus, polliceturq;, post triginta dies cum eodem Virginum agmine redituram, ut comitari cupientem, una secum deducat. Puella grauitatem induit, mores componit, morbum post quintum & vigesimum diem contrahit. Trigesimo beatissima Maria Virgo ysdem puellis stipata reuertitur: Musa eius recreata aspectu, Venio Domina, exclamat, ecce Domina venio, simulq; animam expirauit. His praesidijs atque artibus Ioannes ad summam modestie excel-

IOANNIS BERCHMANNI. 81
excellentiâ, oculorumque imperium nite-
batur, nec minore studio reliquorum mem-
brorum dominatum, gestuum vestitusque
decentiam omni loco ac temporum occa-
sione procurabat; nihil ut sit mirum, adeo
modestiam eius omnibus fuisse admiratio-
ni, tantisque à virtute illâ fuisse laudibus
commendatum.

Altera eius cautio aduersus remotissima
etiam pericula castitatis posita, fuit in fugâ
omnium familiaritatum. Vnique Scholasti-
corum, cui plusculum fidebat, tria hæc reli-
quit documenta: Primum, ne vllam vn-
quam cum aliquo singularem iniret amici-
tiam arctiore vinculo societatis. Alterum,
magnis aliquando animis ingluuiem supera-
ret: quâ semel subiugatâ, redactaque in pote-
statem, haud facile deinceps intemperantiæ
esse obsecuturum. Tertium, in Deum eodem
ferretur affectu, quo filius in matrem, hinc
suauissimam quamdam fiduciam illi nasci-
turam. Inter scripta virtutum suarum prin-
cipia & illud retulerat: *Nulli ero familiaris:*
vtique censebat familiaritate minui debitam
in socios obseruantiam, præberi ansas violan-
darum legum, darique occasiones admitten-
di frequentiores culpas. Vna nostrarum le-
gum est, ne alter alterum vel ioco tangat.
Ioannes ita scripto proposuerat: *Si quis vel*

F per

*per iocum me contra Regulam attigerit, statim
aperiam Superiori.* Atque vt altius imprime-
ret animo, quàm dedecerēt omnes familiari-
tates, scripto adnotauerat præcipuè id caput
quo in reddendâ conscientiæ ratione interro-
gamur, an non alicui præ ceteris simus fami-
liarior; addideratque è D. Basilio, familia-
ritatem inter Religiosos nocere charitati, eo-
que prohibendas esse hominibus Deo sacris
continuas singularesque necessitudines; cum
& Ioannes Climacus narret nouisse se iuue-
nes, qui licet castissimè inter se amarent, ab-
ruperint tamen omnem familiaritatem,
postquam alijs offensionem se fuisse intellexê-
re. Præterea, tabellis exceperat indicia, qui-
bus S. Bonaventura internosci scribit priua-
tas malæque amicitias, an potius coniuratio-
nes, nimirum horas diesque totos subinde
perdere colloquijs, initio probis, sed mox va-
nis, ac licentijs solutis; explicare vehemen-
tiam mutua propensæque inter se voluntatis
quasi verbis explicari vix possit; ad mutuos
vultus fixis adspicere obtutibus; munuscula
vtrò citroque reddere; inuicem tangere, ma-
nusque prehensare; non posse diu amici
sustinere absentiam; longumque domicilij
deplorare interuallum; angi sollicitudinibus
si rari perferantur nuntij, perpetuoque id ge-
nus curis agitari; ferre grauiter, si tertius in
eam-

eamdem se insinuet societatem, ac tum suspicionibus vri; iras subinde inter vtrumque familiarium nasci, atque erumpere in rixas; alterum alterius excusare peccata, & sine correctione tegere; aliaque eius generis multa, vberius à S. Bonaventurâ pertractata; ad quæ Ioannes subiunxerat, illud quoque euidens esse signum improbæ familiaritatis, cum amicus occasionem dat culpæ alicuius admittendæ aut legis violandæ, nec alteri tamen animus est eâ fidentiâ libertateque septus, vt errati aut legis amicum audeat admonere, vel abnuere se id esse commissurum. Intentissimam hanc curam, quâ se Ioannes oculosque suos in officio tenuit, quâ verecundiam semper præstitit, ingluuiem expugnauit, amicitiarum scopulos defugit, tam insigni castitatis prærogatiua Deus cumulauit, vt vitam omnem obscœnis animi corporisque motibus egerit expertem. Quod ornamentum tantò profectò est æstimabilius, quantò inter homines rarius, nec vulgò nisi illis (neque tamen omnibus) concedi solitum, qui mortalibus perpetuò culpis per singulare Dei præsidium immunes, vitam omnem innocentissimè traduxêre. Ac de mentis vacuitate ita enuntiauit domestico cuidam, parcus alioqui rerum suarum laudator. *Ego, inquebat, Dei Virginisq; beneficio, non*
 F 2 *memini*

memini me umquam cogitatione vllâ impudicâ oppugnatum: contrâ verò quàm maximè abhorreo à re qualibet contrariâ castitati. Quàm autem auerso fuerit animo ab omni obscenitate, vel eo intelligi potest, quòd, cum ad legendas suafu meo Confessiones S. Augustini, ob præclarissima quædam opusculi illius lumina, inflammatoſque affectus, adductus eſſet; mox ille, offeſus lectione noxarum (in quas Augustinus præceps ruerat impetu adoleſcentiæ) ad me è veſtigio venit: &, Pater, inquit, non ſapit mihi lectio Confessionum S. Augustini; quo ego intellecto, vt in poſterum lectione abſtineret, imperaui.

Mordebit haud dubiè hæc narratio eorum animos, afficietque pudore, qui curioſâ Poëtarum & obscenorum librorum volutatione, pernicioſiſſimis ſcilicet malorum auctoribus ac magiſtris, capiuntur. Quid enim aliud, quàm mentem impuris cogitationibus plenam, laſciuis motibus, fœdiſque imaginibus concitant? quæ animi puritatem labefactant, orationes, ceteraſque mentis exercitationes hebetant penitus atque eneruant.

Neque verò ſola illi mens erat inhoneſtis cogitationibus vacua, ſed & corpus omnis laſciuiæ expers: quod ego illius ipſius affirmatione didici, qui extremo Decembri anni M. DC. XX. redditurus mihi, vtpote Superiori,

IOANNIS BERCHMANNI. 85
riori, progressus sui rationem, vt legibus mo-
ribusque apud nos est receptum, id apertè in-
dicauit, quod singulari beatissimæ Matris
beneficio adscribebat, quæ sui non modò vi-
gilantis, verùm etiam dormientis tutelam
suscepisset, ex quo priùs semper quàm dor-
mitum iuerat, Angelicam illi salutationem
perfoluisset in honorem immaculatæ Con-
ceptionis. At verba illius potiùs, quæ litteris
mandata post mortem reliquit, quæq; idem
uiuus mihi retulit, in medium proferamus.
*Circa castitatem, inquit, de die per Dei gratiam,
& auxilium beatissimæ Virginis, nullum sensi
motum; noctu, ter vel quater in somno: ac tum
sentio me quasi ab aliquo excitari, ab eo tempore
quo ante cubitum cæpi dicere Aue Maria, ad
honorem immaculatæ Conceptionis beatissimæ
Virginis. Vt igitur, quæ ei diuinitus data erant
ornamenta, indies augebantur; ita multò
quàm antea liberiolem puriolemque se sen-
sit anno M. DC. XXI. qui vltimus fuit vitæ:
quo iterùm cum ad XIV. Kalendas Iulias de
rebus animi sui ad me referret in proximum
renouandorum votorum diem (qui futurus
erat B. Aloysio Gonzagæ festus) magno suo
gaudio narrauit, eo se anno neque interdium,
neque noctu, neque in vigiliâ, neq; in somno,
per singularem beatissimæ Virginis opem,
vllam aut animo cogitationem aut phan-*

taliâ imaginem, aut corpore motum castitati
 repugnantem percepisse ; sicque vt scripto
 circumferre consueuerat, quæ mecum com-
 municabat, ita ea his verbis consignarat : *Cir-
 ca castitatem nihil sensi, nec vquam melius
 mihi videor habuisse beneficio beatissimæ Virgi-
 nis.* Et cum eo sanè cōuenit, quod & P. Tho-
 mas Massucci, (qui per id tempus confessio-
 nibus eius audiendis vacabat) testatus est,
 Ioannem neque per vigiliam neque per som-
 num turpibus vllis cogitationibus vquam
 fuisse concitatum. Quæ omnia cūm à quo-
 piam Collegij Romani Sacerdote narrata
 essent Illustrissimo Cardinali Bellarmino, ad
 D. Andree agentis, solutus in lacrymas Cardi-
 nalis cum admiratione; Singularem profectò
 gratiam, inquit, Iuuenis (qualis Ioannes erat)
 valentis ac spiritibus pleni! Quid igitur miri,
 fuisse eum vulgò ab omnibus pro Angelo
 habitum, eoque nomine appellatum, quando
 humanis alligatus membris, humanæ dege-
 ret expers miserix, contenderetque cum ipsis
 Angelis de palmâ castitatis? Nam hi, vt ait
 Bernardus, etsi virginitate quidem glorien-
 tur, quia tamen extra carnem, feliciores sunt
 hac parte quàm fortiores: at fortunatissimus
 hic Adolescens in medijs cupiditatum ardo-
 ribus non modò non vrebatur, sed ne qui-
 dem incalescebat: diceres communem na-
 turæ

*A. P. Tho-
 mæ Bisdq-
 mini.*

turæ sensum exuisse. Eximio huic Angelicæ puritatis ornamento, duæ cælitus prætereà adiectæ fuere prærogatiuæ, in vitâ vna, post mortem altera, ambæ iuxtâ veneratione dignæ. Priorem sensere multi, qui suam ipsorum experti imbecillitatem, non audebant in vultum cuiusquam intueri, ne concitatis impuris appetitibus, commouerentur (quod consilium à sanctioris quoque vitæ Magistris laudari consuevit, dum asserunt non licere vel oculo delibare, quod nefas sit animo concupiscere) è diuerso tamen ab ipso Ioannis aspectu dixere se vim sensisse contrariam, vt supra est à nobis commemoratum. Quique obtutum in eo figebant, non solum non subibant pudicitie discrimen, sed periculi eius securi, cum delectatione sanati, insuper castas quasdam illecebras, amoremque sanctum puritatis in se experiebantur. Complures etiam iurati testimonium dixere, se, quoties obuiam ille fieret, velut Sancti cuiusdam interuentu compulsos, ad animum gestusque componendos. Nonnulli illius se conspectu ad defendendas noxas suas; alij ad perfectionem eius imitandam, prouocari sentiebant. Erant, qui aduersi in triclinio accumbentes, eius moribus velut imagine expressam beatissimæ Virginis modestiam sibi proponebant. Non pauci eum suspicientes

instar cælitis, Deo se per merita illius commendabant. Plures denique apud se taciti exclamabant: Felicem te, qui instar Angeli de cælo in hocce collegium lapsi, huc ad nos excitandos exemplo tuo descendisti! & lacrymis non temperabant, & puris se castitatis amoribus inflammari aspectu eius sentiebāt. Quæ res cum ad eundem Cardinalem Belarminum essent relatæ, profusis quoque lacrymis, Priuilegium hoc, inquit, beatissimæ Matris, non nisi illius ipsius fauore potuit seruo ac filio eius impertiri. Quæ sapientissimi Cardinalis opinio verisimilis redditur prece quadam duodecim salutationum Angelicarum, quâ castissimus hic adolescens beatissimæ Virginis puritatem meditatus quotidie eam fatigabat, vt & ipse sermone moribusque afflare alijs posset amorem puritatis, omnemque depellere cogitatum castimoniam repugnantem: sicut ipsa videlicet sui aspectu omnem humanis mentibus cogitationum lasciuiam depellebat. Quas preces litteris mandatas his verbis faciendas conceperat: *Beata Virgo impuras aliorum cogitationes suo aspectu pellebat: pete & tu, vt tuâ conuersatione castitatis amorem ingeneres in alijs.*

Altera prærogatiua, cuius post mortem compos fuit, videtur esse potestas illa, quâ multis opem eius implorantibus inter pericula

cula castitatis suppetias venit. Etenim sæcularium Religiosorumque hominum, cuiuscumque ordinis aut sexûs, plurimi Angelicâ eius puritate cognitâ, cum in grauissima castitatis discrimina subinde incidissent, nequidquam sese illis explicare conati, eius tandem ope inuocatâ, remedium inuenere, libidinum suarum ignibus repente velut aquâ effusâ extinctis. Postea verò, ad illustrandam Dei eiusque seruuli Ioannis gloriam, accepta beneficia apud varios nostrum professi, testandæ gratitudinis ergò, aut per se ipsi, aut per alios votiuas memoriæ tabulas, atque anathemata monumento eius suspendere, perpetuâ deinde veneratione religioneque castissimum Iuuenem profecuti: vt videatur profecto beatissima Virgo hunc seruum suum ac filium non modò viuum prærogatiuis, sed & mortuum prodigijs ornare voluisse. Ioanni, ad asserendam subducendamque longissimè innocentiam suam, ab omni noxâ seu aduersus leges Religionis seu Præcepta seu Consilia diuina (vti diximus ab eo propositum fuisse) extra singulare Dei præsidium, hæ quinque prætereà res auxilio fuere: Comoda bonaque natura; ordinata viuendi ratio; linguæ custodia; vsus examinis; diei denique vnus mensis quolibet, ad res animi sui excutiendas disponendasque vacatio: quæ res

omnes ab eiusdem præsidio gratiæ nascebantur. In primis ad res administrandas maximi refert bona præditum esse naturâ, præcipuè id conducit ad formandos mores, vitamque cum virtute instituendam. At causæ, cur homines difficulter admodum peccata lapsusque omnes euitare possint, ex ferè sunt: quòd in humanorum corporum temperatione non semper inter se congruunt ea ex quibus ipsa constant, sed plerumque inæquali mixtione redundat aut bilis, aut pituita, aut sanguis, aut melancholia: quas ob res & in ea vitia homines procliuius incidunt, in quæ superantis humoris impetu violentius impelluntur. Atque hinc vsu venit, cum casus aliquis inciderit, repente vt concitetur, erumpatque appetitus, qui nullo rationis expectato imperio, eam anteuertat, ac vi etiam per iniuriam subigat libidini suæ. At in fabricando compingendoque Ioannis corpore, cælum ipsum atque elementa, natura quoque & gratia (vt omni ex parte quàm perfectissimum esset) videntur consensisse. Etenim tam iusta erat mixtionis proportio, vt in eius temperatione partes nullæ dissentirent. Crederes humorum portiones æquis libræ lancibus fuisse admensas, ita nullius præ altero vis, præterquam sanguinis modicæ, dominabatur.

Quo-

Quoniam verò affectiones animi naturaliter constitutioni corporis obsequuntur ac parent, ex eaque harum operatio motusque omnis pender, quamdiu videlicet animus hîc corpori hæret affixus; cum natura Ioanni corpus præstantissimâ temperatione compactum finxerit, affectiones quoque motionesque omnes in animo eius moderatissimæ existere. Ille igitur, & diuinâ ope nixus, & sui vigilantissimâ custodiâ septus, haud difficulter providere poterat (vti faciebat) ne appetitiones vllæ rationem præuerterent, aut tenebras offunderent, aut alieno tempore, aut vehementius quàm ratio permetteret, tumultuarentur. Atque ad hunc modum perpetuò carnem spiritui, corpus animo, sensus cupiditatesque rationi subiecit; prorsus vt absque seditione ac contentionibus, pacem iucundissimam huic suo benè temperato regno confirmarit. Hinc præclara quædam illi nascebantur ornamenta, quæ cum in eo eniterent, non amabilem magis quàm mirabilem omnibus efficiebant. In primis perpetua illa alacritas, tranquillitasque animi, cum internâ pace coniuncta, quæ ex oculis eius atque ore toto elucebat, prodebatque sese constanti ac numquam intermissâ hilaritate vultûs, modestoque oris risu. Deinde idem ille morum tenor expers mutationis, nullo
vinqum

vniquam vllius motionis, turbationis, affe-
 ctionisq̄ue concitatae signo interruptus. De-
 nique iugis illa affluentia numquam satis
 laudatae laetitiae spiritualis, quam tanti fecere
 semper Viri sancti, commendaruntq̄ue per-
 fectioris vitae Magistri; vtpote quae arguat pu-
 ritatem excellentem animi; fastidium quod-
 dam ac nauseam rerum caducarum; vacui-
 tatem appetituum; gratiae diuinæ ac rationis
 in omnes affectus, motusq̄ue animi perfe-
 ctum dominatum. Interrogatus quandoque
 ab eiusdem secum cubiculi contubernali,
 percepissetne aliquando vel sensum leuissi-
 mum nascentis in se tristitiae, seu melancho-
 liae; Ego, respondit, quid rei melancholia
 sit, aut melancholicum esse quid sit, nescio.
 nempe haud meminerat, se vniquam, quid
 id esset, fuisse expertum. Et auditâ semel
 Rectoris domesticâ adhortatione, docentis,
 quantum Religioso homini noceret tristitia,
 utq̄ue mater esset ac nutrix tentationum
 omnium; ipse in colloquio sapius ea damna
 cum execratione celebrabat, subiiciebatq̄ue,
 se vsu quidem id non didicisse, sed auctori-
 tate Rectoris ita affirmantis; ceterâ, per Dei
 gratiam, numquam expertum. Et sanè felix
 ille Ioannis animus haud obscure indicabat,
 se mortali hac in vitâ gustum quemdam præ-
 cipere aeternae felicitatis, ac pignore illo se-
 cuturâ

*Alexandro
 Rimal.*

cuturæ gloriæ potiri, ad quam tantis amoris significationibus à Deo esset destinatus.

Erat quippe non accersita in eo grauitas, *Eius mores.* nec mixta leuitate alacritas, sed hilaritates etiam maximas, risumque suum semper submissionis cuiusdam ac modestiæ temperatione miscebat. Vnumquemque magnâ affabilitatis dulcedine, gratiaque alloquebatur; ac licet in agendo serius esset & grauis, id graue tamen nemini erat, sed iucundum gratumque. Numquam auditus vel per iocum illudere vlli, aut irridere; numquam explodere quemquam, aut verbis laceffere; numquam queri, aut doloris alicuius sensu, à quoquam se fuisse læsum significare; efferuescere numquam, nedum irasci, aut vocem solito contentiorem aliquando mittere, etiamsi vigenens ei esset natura spiritibusque concitata. Si quis eum laudaret, vidisses non inflari aut efferri, sed honesto suffundi rubore. In culpam vocatus, aut reprehensus, non se dabat mœrori, sed demittebat submissè animum gaudentem potius atque acquiescentem, nullaque perturbatione commotum. Non deiciebatur aduersis, aut vllis à seruiendo Deo difficultatibus absterrebat, quin potius diuinâ nixus ope, animos addebat alijs, incitabatque. Actu promptus erat, non anxius. Occasiones agendi neque celeritate nimiâ ante-

anteuertebat, neque cunctationibus, sœcordiaque corrumpebat; denique in rebus eius omnibus splendor quidam Religiosæ integritatis emicabat, qui tantam ei venerationem conciliabat apud omnes, vt vulgò non nisi summâ reuerentiâ approbationeque de eo loquerentur.

*Ordo vi-
uendi.*

Res altera quæ magno ei adiumento fuit, erat certa ac constans viuendi ratio, quam semper laudatissimam tenuit. Solebat semestribus singulis (per id triduum quo nostri negotijs ferè omnibus sibi interdicit, ad instauranda meliùs renouandaque Religionis vota) distribuere temporum, dierum, horarum etiam interualla, quibus ad res quasque erat opus. Atque hanc partitionem in proximæ Renouationis tempus obseruabat constanter: ac tunc, si vsus esset, ob diuersitatem vel habitationis, vel occupationum, eam commutabat. Quoniam verò interdium spatia quædam temporis incidunt aut abrupta aut breuia, quæ faciliè incurioso alicui elabuntur, ille qui temporis scilicet erat auidissimus, peculiare quædam actiones affixerat eorum singulis, pro cuiusque duratione; prorsus vt ne momenti quidem faceret iacturam. Neque eâ temporis parcimoniâ contentus, insuper præmeditata habebat quæcumque ei incumbebant agenda: quâ nempe
ratione

*Nullum
perdit tem-
pus.*

ratione ea quàm optimè faceret. Exempli gratiã, quemadmodum somnum repeteret; quo modo aut in lectulo se collocaret, aut ex eo surgeret; quo se studio ad orandum & ad

*provisas
habebat
actiones
suas om-
nes.*

commentandum præpararet; quã religione Sacris interesset, aut ad sacra obeunda mysteria se compararet; quã curã in conscientiam quæreret; quã denique sollicitudine rem quamlibet aliam (quam quidem certum sciret abs se esse procurandam) administraret: adeoque designauerat scripto, quo potissimum fine, quo tempore, quibus adiunctis ea res agenda esset, ut quando constitutum rei suscipiendæ tempus aduenisset, eam rem præstaret tamquam præcogitatam, omnium perfectione; ut ex calce libri huius constabit: cui exempla nonnulla subijciam earum actionum, quas ipse certã ratione faciendas scripto definierat. Ad hæc, per summam illam vigilantiam sublimiùs denique eniti studuit, ut non solum eas res, quas indubiè certoque administrare deberet, verum etiam incerta extraordinariaque negotia ad ordinem ac tempus suum reuocaret; ne improvisis umquam rebus priùs opprimeretur, quàm ad eas ipse prudens paratusque accessisset. Exemplum ab eo litteris mandatum reperio in hæc verba: *Si hoc illudve euenerit, tum hoc illudve faciam: si hac illãve de re in-*

*Extempo-
ralia quo-
que reuo-
cat ad cer-
tum tẽpus.*

terro-

terrogatus fuero, illâ istâve ratione respondebo.
 Eâ re semper loquebatur agebatque præcogitatio, vitabatque omnem culpam. Rogatus igitur aliquando à commilitone, ecquid faceret, quò numquam verbis peccaret; *Numquam,* aiebat, *nisi præfinitò verbum facio, ac Deo prius commendatum, ne quod illi ingratum proferam.*

*Custodia
lingua.*

Tertium, quo plurimum proficiebat, fuit linguæ (de quâ iam dici cœptum) custodia; cuius ferè vitio homines vulgò prolabantur; vt perfectus meritò æstimetur, qui sermone non peccat. Ioannes igitur nihilo in vitâ constantior, quàm verbis cautior, tam erat in loquendo circumspectus, vt nullum vniquam eius ab ore verbum sit exceptum, quod non aut necessariò, aut vtiliter, aut honestè fuerit pronuntiatum. Atque vt diuersa sunt Societatis nostræ, quæ sermonem spectant, præcepta, Ioannes, nullo prætermisso, obseruabat vniuersa.

*Silendi con-
stantia.*

Iuuenis erat verborum parcus, eaque, quibus parcè utebatur, ferè erant præcogitata, priusq; ad limam vocata, quàm ad linguam. Numquam, ne leuiter, violasse silentij legem visus; neque in Collegio eâ legis indulgentiâ vsus, quâ paucis obuium compellare fas est. atq; hoc nomine mirum videri possit (cùm ad eò esset abstinens sermonis, & in se abductus)

tam

tam citò tamque accuratè didicisse Italicam linguam, vt (quò pertingunt pauci) proximè quoque accederet ad rectam eius elocutionem, omnesque pronuntiandi sonos. Eo tempore, quod à prandio & coenâ animorum remissioni concessum (nos recreationis horam appellamus) semper, vt mos est, Italicè, aliàs Latine, ad Regulæ præscriptum, loquebatur; retuleratque his verbis in schedam: *Cum Praeceptore utar Latino semper sermone, etiamsi Italico ipse me compellaret.*

Nonnemo condiscipulorum, pro suâ in Ioannem insigni opinione, facultatem à Maioribus obtinuerat, cum eo res omnes consiliaque sua conferendi. Hic quoniam non raro, cum silendum esset, ad eius cubiculum ventitaret, breuissimè, si fieri posset, ab eo dimittebatur; si longa res foret, differebatur in horam colloquio designatam. Romam in Collegium venerat Pater quidam, qui Ioannem, nuper Laureti notum, de more complexus, diutiùs morabatur sermone; at ille, *Non licet mihi, inquit, Pater, hoc quo silendum est tempore sermonem longiùs extrahere: at si gratum fuerit, ibo petiturus loquendi copiam, quâ factâ mox redibo.* Abijt, mox redijt, Patremque egregio obseruantiae exemplo recreauit iuxta atque instruxit. Collegio egressus, numquam, vbi frequentia erat domorum, loque-

G

batur;

*Nicolaus
Rad.*

*Colloquia
eius inter
recreatio-
nem sancta.*

batur; locis verò infrequentibus, si fortè de viâ quisquam occurrisset, cœptum etiam sermonem abrumperebat, dum obuius transisset. quod sæpè ei vsu venit. Colloquij concessi tempore (ad quod vnâ cum ceteris semper accedebat) de Deo, de rebus religiosis ac sanctis, nec alijs, verba faciebat: & tanto quidem sensu, vt hæc ei recreatio, quâ maximâ frui posset, facile esse videretur. Contigit eum aliquando inter colloquendum dicere, valetudinem suam eâ molestiâ tentari affligique posse, si non reperisset cum quo de Deo instituisset sermonem. Quantâ autem & vi & gratiâ de diuinis rebus loqueretur, vel eo colligi potest, quòd grauiissimi Patres affirmant, sensisse, verbis se Ioannis aut ad pœnitentiam commoueri, aut ad amorem Dei inflammari, ampliùs atque ipsâ oratione, alijsque quæ obibant exercitijs religiosis. Habebat nimirum singularem cum in dicendo venustatem, tum in persuadendo vim; vtque erat vrbanißimâ suâ affabilitate omnibus charus, nemo non ei illud deferebat, vt quâ ferè collocutione eum delectari scirent, eò sese vtrò inclinarent. Ambitiosius namque eius necessitudo à multis expetebatur, quàm ipse cuiusquam congressum colloquiumque quæreret, qui omnium promiscuè Societati sese inferebat. Si illis forte, qui aut inferiores erant,

erant, aut humiliora studia tractabant, sese adiunxisset; tum suavi quadam nec molestâ auctoritate, de rebus pijs sermonem ordiebatur ipse, nec inuitè reliqui obsecundabant. Si Maiorum circulis accessisset, simplici quodam candore, singularique gratiâ subijciebat idoneam sermonis materiam, quam illi scilicet arriperent; atque ita quod intenderat animo, obtinebat. Scriptum reliquit, vniuerso illo tempore, quo Romano in Collegio degit, non nisi semel & iterùm laborasse, vt dissertationis piæ ansam inferret; nec illud quidem cuiusquam recusantis culpâ, sed ipsâ magnitudine circuli collecti, in quo eundem diutiùs produci sermonem, difficile videbatur. Quâ re & ipse plurimum, quàm duorum triumve Sodalium cœtum, viâ qualibet inter colloquendum refugiebat, & alijs vt vitarent persuadebat. Professores scholarum, simul fortè à prandio obambulantes in horto, Ioannem eminus aduentantem conspicati, ex compacto atq; animi gratiâ simularunt se colloqui de rebus belli. Ioannes compositis ante pectus manibus, vultu in terram defixo, cum ijs silens utique ambulabat; ac tum demum illi subridentes, patientiâ eius recreati, ingenuè scilicet professi sunt, ad militiam se ioco & de industriâ auertisse sermonem, protinùsque, vnde abierant, in

dissertationem rerum cælestium rediëre.

*Industria
ad compa-
randam co-
piam san-
ctioris ser-
monis.*

Multum operæ ponebat in siluâ seu co-
piâ quadam colligendâ diuinarum rerum,
quas inter colloquendum in commune pro-
ferret. Si quid rarum exquisitumque aut in
concionibus, aut lectionibus publicis, aut pri-
uatis adhortationibus, aut lectione super
mensâ audiuiisset, aut etiam legisset ipse apud
sacros Auctores, scripto adnotabat. Sed duæ
res præ ceteris in hoc studio longè præstan-
tissimæ fuëre; prima, quòd Superiorum au-
ctoritate, cum seorsim in contubernio dege-
ret, inter Sodales illos suos instar Acade-
miolæ cuiusdam religiosæ instituerit (vaca-
tionum diebus, quibus in vineam itur rusti-
catum) quam ille non Academiam, sed Col-
loquia religiosa vineæ appellabat. Interdiu
igitur, ad horæ spatium, in porticum aliquam
aut apertum tuguriolum quodpiam conue-
niebant. Hic virtus aliqua proponebatur, plu-
rium sententiâ selectâ, de quâ, conuentu pro-
ximo essent dissertaturi. Primis comitijs
actum de fraternâ charitate, de modestiâ, de
humilitate, de custodiâ sensuum, de sui ipsius
abnegatione, de oratione, de tolerantia, de
sanctâ animi alacritate; nam hunc ab eo de-
scriptum ordinem reperio. Tum vni alicui
eorum dabatur prouincia hanc illamve vir-
tutem definiendi, indicandi que si quæ Re-
gula,

*Instituta
ab eo Aca-
demia bo-
norum col-
loquiorum.*

IOANNIS BERCHMANNI. IOI
gula, si quod Maiorum decretum, eam præ-
ciperet, eiusque faceret mentionem. Alius
aliquis referebat, quæ virtutis illius actus in-
terni externive possent exerceri. Huic cura
erat adducendi incitamenta quæ ad ample-
ctendam virtutem inuitarent. Illi erat mu-
nus impositum dicendi, quæ ratione ac viâ,
quibus item medijs, ad virtutem obtinen-
dam pertingeretur. Isti denique cautio erat
adferendorum exemplorum aut testium, qui
hac illâve virtute præcipuè floruisent. Qui-
libet sese ad impositam prouinciam strenuè
per hebdomadam præparabat, dieque feria-
to in vineam coibant, loco constituto, de que
rebus propositis simpliciter breuiterque con-
fabulabantur. Tum sub finem permitteba-
tur unicuique quæstiones de pertractatâ vir-
tute ponere: quibus expeditis, ad vitiorum
fugiendorum tractationem, eodem ordine
procedebatur. Viguit id institutum etiam
post Ioannis mortem, vigetque, vt audio, vs-
que huc. Neque aliò hæc spectabant, quam
vt sese mutuò ad virtutem accenderent, & à
vitijs auocarent, simulque materiam collige-
rent rerum idonearum, quibus quampluri-
mos colloquendo iuarent. Reperio autem
perscripta à religiosissimo Iuvene omnia
quæ in iam dictis conuentibus suo tempore
fuisse pertractata.

*Studium
legendili-
bros insti-
tuti pro-
prii.*

Altera eiusdem conatus industria fuit, quam sui præcipuè causâ adhibebat, perpetua diligentissimaque lectio Constitutionum, Legum, Annalium Historiarumque Ordinis nostri; rerum item à sanctis Societatis viris, alijsque, gestarum. Hæ tantæ eius erant deliciæ, vt aliquando mihi diceret: Mea delectatio sunt Regulæ, Exercitia, ac Vitæ nostrorum Beatorum. Has igitur legebat, cum ipsius sui instituti causâ, tum vt ijs penitus imbutus, nihil eorum ignoraret. Quantum verò ipse ab hoc suo studio sibi promitteret, vel inde conijci possit, quòd inclinatâ iam vitâ ab Adolescente quodam Polono interrogatus de ratione traducendi ritè temporis, quod colloquio quotidie indulgetur; ita responderit: Si vis sermones pios facillè feliciterque colloctionibus aspergere, legito Historias & Annales Societatis nostræ; hæ quippe res cum propriæ nobis sint, omnibus quoque perplacent; quarum equidem tantam meâ causâ filuam collegi, vt nullâ prope dissertatio cuiuscumque demum argumenti incidere possit, cuius non exempla semper aliquot ex ipsis Societatis rebus adferre possim.

*Nicolao
Grodrefchi.*

Prætereà confecerat sibi syllabum Martyrum virorumque sanctitate illustrium Ordinis nostri, quorum anniuersarios dies magnâ

IOANNIS BERCHMANNI. 103
gnâ eorum quibuscum loquebatur oblecta-
tione celebrabat. Obseruatumque est, quo-
ties per aulam Collegij (in quo eorum imagi-
nes propositæ sunt) pertransiret, aperto sem-
per capite ijs habuisse honorem. Tam erat
accuratè instructus in primordijs, progressu,
vniuersoque Societatis nostræ statu, vt non
legisse modò, verumetiam scripsisse Histo-
rias Annalesque eius videretur: assererentque
grauissimi Patres, qui sæpius de Societatis re-
bus differentem audierant, numquam sibi
reperitum alium, qui aut maiorem earum re-
rum cognitionem haberet, aut maiore affe-
ctu de ijs loqueretur, aut loquentes audiret.

*P. Gabr.
Venusus,
& alij.*

Quartum præsidium, quo ab omni se no-
xâ longissimè remouebat, fuit perpetuus vsus
cognitionis exercendæ in cōscientiam suam;
res aded à S. IGNATIO laudata, necessariaque
omnibus religiosæ perfectionis studiosis.
Examen, quod nos generale appellamus, bis
ille per diem, manè, iterumque vesperi, vnà
cum ceteris Societatis alumnis, horis consti-
tutis habebat. Alterum prætereà (quod par-
ticulare à nobis vocatur) instituebat quoti-
die tempore statò, nisi tamen pro locorum
rerumve gerendarum diuersitate mutaret
pro Societatis more. Atque ille vno ferè an-
te obitum mense mihi dicebat, (quod scri-
pto deinde commendatum reperi) num-

G 4 quam

*Numquam
in omni vi-
ta intermi-
sit vllum
conscientia
examen.*

quam vel vnum aliquod horumce exami-
num vlllo abs se die fuisse suo tempore inter-
missum ; quodque nec pretio, nec gratiâ, vel
examen, vel orationem, vel apertam illam
simplicitatem in detegendo se Superioribus
intermittere vellet. Sic habent eius verba :
*De medijs quibus Societas utitur ad finem suum
consequendum, magnifacio orationem, examen
particulare & generale, & candorem apud Su-
periores ; nec recordor vquam me vllum ex
his omisisse, nec pro toto mundo omitterem.*
Quin & illud iam secum decreuerat, ne tum
quidem horum aliquid prætermittere, cum
vel æger lectulo teneretur : asseuerabatque,
his præfidijs, ad egregiam puritatem perfe-
ctionemque posse perueniri.

Reuertens aliquando è Patrum Professo-
rum Domo, quò se, ad audiendam Præpositi
Generalis adhortationem, contulerat, so-
cium ita temporis admonebat : Commo-
dum per viam conscientiam nostram ad cal-
culos vocabimus, nam in Collegio iam si-
gnum examini faciendo datum erit. Idem
alteri cuidam repetijt, dum fortè Dominico
die è SS. Trinitatis ad Pontem Sixti rediret ;
quò, ad subseruiendum communioni Ge-
nerali, fuerat ablegatus. Quodam vacatio-
nis hebdomadaræ die, proximè prandij ho-
ram, in vineâ obambulans cum aliquot So-
daliis,

dalium, Mi frater, inquit, hoc tempore soleo
 breuiter rationem conscientiae à me exigere.
 & cum dicto discedens, quod dixerat facere
 instituit. Eaque libertate, per nullum huma-
 nitatis respectum, id genus leges obseruabat.
 De examine particulari ita sentiebat, vt dice-
 re soleret; nullum, eo constanter adhibito,
 praestantius praesentiùsve esse remedium aut
 vitij excindendis, aut virtutibus inferendis:
 ipseque ad ritè id obeundum, duabus se re-
 bus excitabat: in primis, exemplo S. IGNA-
 THII, Lutetiae operam litteris nauantis, qui
 summam id curam, inter studendum, exercebat.
 Deinde etiam cogitando, quanti id examen
 fecissent semper primi Societatis nostrae Pa-
 tres. Ipse autem ad amissim praecipua Re-
 gularumque omnes, quae huic examini faciendo
 S. IGNATIUS in libello Exercitiorum suorum
 praescripsit, sequebatur. Si verò, aut per cau-
 sam, aut per obliuionem, vnum aliquod eo-
 rum neglexisset; praeterquam quod certam se
 ipse poenam mulctaret; vltro etiam apud Su-
 periores aut Praefectum conscientiae accu-
 sabat. Quam rem, vt cautior in posterum
 redderetur, pro freno & calcari sibi esse asse-
 rebat. Praeterea, eo ipso die quo examen istud
 coeperat adhibere vitio alicui aut prauae pro-
 pensioni excindendae, exempli gratia, elatio-
 ni animi; simul actus duos virtutis contrariae,

nimirum demissionis, manè vnum, de prandio alterum, incipiebat exercere. Die sequenti binos item ampliùs eiusdem virtutis actus; die tertio, geminos iterùm alios adiungebat; qui numerus adeò excrescebat, vt in decades multas perueniret. planè vt mirum sit, mentem tot alijs rebus fatigatam non grauiùs ab eo læsam fuisse. Eadem verò ratione virtutum actus multiplicabat, quoties virtuti alicui adipiscendæ per id examen incumberebat. Præsidio horúmce trium examinum (quæ magnâ animi contentione diligentiaque quotidie exercebat) perfectam sui cognitionem nactus, præueniebat minimas etiam cogitatuunculas, ac motus quoscumque primores, & affectus propensioneque: quæ omnia scripto adnotabat.

*P. Marcus
Vandoorne.*

*Numquam
scrupulo-
rum mo-
lestis ia-
tatus.*

Quamuis autem res ipse suas acriter admodum minutatimque excuteret, mentis nimirum puræ adeò ac teneræ, vt Præfecti confessionibus eius audiendis vix culpæ vllius reum comperirent. Tamen, vt illi affirmant, & ego ab eo accepi, numquam molestis vllis scrupulorum religionibus fuit agitatatus: ac sodali cuidam suo asseruit, se numquam anxietatis huiusmodi sensum vllum percepisse. Quod quidem magnum mihi visum in eo est, qui res suas omnes adeò perspiciebat accuratè, vt non modò appenderet actio-

actiones & verba, sed & cogitata, & animi quoque interiores affectus; quemadmodum ijs schedis constat, quæ Superioribus ipse ad impetrandas obiurgationes publicas obtrudebat, in quibus tam exiles suos defectus adnotabat, vt haud obscure appareret, quantâ cæli luce esset illustratus, quantaq; innocentia duceret vitam. Et certè, qui hæc audiebant, admiratione iuxta ac pudore sancto afficiebantur: multiq;e, quos noui, (pro eâ quam de eo conceperant sanctitatis opinione) id genus schedia habuere in honore.

Sed, ne quotidianæ hæ suæ exercitationes hebescerent, excogitauit scilicet religiosissimus Iuuenis nouam præterea industriam, *Diei vnius per singulos menses collectio.* tuendi seruandique earum sempiternum vigorem. Nimirum, de Maiorum licentiâ, diem Festum aliquem aut Feriatum, erepto ex studijs otio, quot mensibus seponebat, animi sui rebus inspiciendis. Hoc ille die neque cubiculo egrediebatur, neque cum domesticis agebat, perinde atque receptui cecinisset, & in secretiores se occupationes abdidisset: extraque quaternas (quas meditando consumebat) horas, diei reliquum cognoscendis vitæ suæ moribus impèdebat. Diem cum die, hebdomadam cum hebdomadâ, mensem cum mense componebat, in semet descendendo, vt damni lucrive rationes sibi consta-

constarent. Inquirebat, an leges nostras accuratè obseruasset: reputabat secum, an ordinem, quem sibi præscripserat ipse, propofitaque quæ animo destinauerat, constanter tenuisset: quemadmodum conscientia quæstiones exercuisset: quomodo oculos, linguam reliquosque sensus refrenasset. Si autem huius suæ citharæ fidem aliquam remiffiorem aduertisset, protinus intendebat, vt suauiem concentum faceret auribus diuinis. Atque hæ ferè artes & industriæ sunt, quibus Ioannes, ad vitanda mala, noxasque declinandas, (quæ prima est iustitiæ pars) utebatur: nunc, quâ ratione partem alteram bene agendi impleuerit, ex illo Dauidis monitu, *Declina à malo, & fac bonitatem*, aspicimus.

Summa eius de Societate existimatio.

Illud ante omnia ponendum est, tantam apud eum extitisse Societatis existimationem, vt verbis ea explicari haud queat: quod soli illi intelligunt, qui quotidianâ eius familiaritate vtentes, ex loquentis id ore acceperunt. Non aliter de eâ, ac de re aliquâ diuinâ, grauibus dignisque verbis loquebatur. Confueuerat appellare, Societatem sanctam, Societatem amoris, Opus diuinum, Matrem nostram. Opinabatur vitæ nostræ institutum perfectam quamdam esse similitudinem illius vitæ quam Christus degerat in terris,

terris, vnumque excellentissimorum Ordinum qui hodie in Ecclesiâ florent. Quam sententiam equidem credo & aliorum esse de Ordinibus quoque suis, ad quem quisque diuinitus vocari semel se existimauit. Quantumuis verò magnificè augusteque de Societate censeret; ideò tamen honestè de alijs quoque Religiosæ vitæ generibus sentiebat, vt nec earumdem familiarum alumni dignius quidquam in earum laudem adferre potuissent; quin imò acquieuisent, applauserentque potius, si disserentem eum audiuissent.

Honorificus derelictis omnibus Ordinibus sermo.

Quemcumque virum Religiosum in plateis obuiam habebat, prior ipse aperto capite venerabatur, comitemque eiusdem officij commonefaciebat. Dicebat hac se ratione in Eremitis honorare S. Augustinum, in Monachis S. Benedictum, in Minoribus S. Franciscum, in Prædicatoribus S. Dominicum, in alijs alios viros sanctitate claros. Enimuerò summa illa quam de Societate imbiberat opinio, admirandos in eo excitabat effectus. Ac primò amorem quemdam intimum tenerimumque aduersus Societatem, cuius lætis successibus gestire eum vidisses, sollicitum famæ ac nominis eius sempiterni, quam Matrem scilicet appellabat. In quanto autem beneficio duceret, Religioni se esse adscriptum,

Veneratio in omnes promiscuè viros Religiosos.

Amor in Societatem IESV.

Exoscula-
tur status
sui vestem.

scriptum, vestibulque Religionis indutum, arguit insignis quidam pietatis actus, quem manè, inter vestiendum quotidie exercebat, imitatu dignum, atque his ab eo verbis expressum: *Cum tunicam tenebis manu, prius quam induaris, exosculare, letus te etiamnum dignum esse, qui vestiaris insignibus Christi.* Atque hunc amorem erga Societatem eiusque vestem ad vltimum vsque vitæ spiritum conferuavit; petita etiam in eâ veste moriendi facultate, vti mox referetur. Excellens hæc de Societate opinio, ardensque in eam affectus, non solum illi conciliabant summam in eâ viuendi quietem atque oblectationem, sed & suauissimam sæpè teneritatem, quam semel iterumque mihi significauit, scriptoque expressam reliquit. Ac primùm quidem, mense Decembri anno M. DC. XX. his me verbis compellauit: *Contentissimus viuo in vocatione meâ, & magnam sæpè sensi animi teneritudinem erga Societatem.* Iterùm, mense Iunio anni M. DC. XXI. prius ferè bimestri quam è viuis abiret, *Viuo, inquebat, maxime contentus: numquam, laus Deo, tentatus fui; & hoc semestri talem affectum sensi erga Societatem, qualem numquam antea.*

Dicere solebat, sperare se, duabus præcipuè rebus Societatem diu incolumem fore. Primâ, quòd malis omnibus in eâ pateret ad dimif-

dimissionem ianua. Alterâ, quòd bonis omnibus præclusa esset ambitionis via, per dignitatum abdicationem, quas accipere Professi non possent, vt neque ab Ordine dimitti; quas ob res Societati gratulabatur. Augurabatur Societatis numerum ad sexdecim aut octodecim capitum millia peruenturum; amplius nihil esse necesse: nam si excederet, agre feruatum iri disciplinam, difficilemq̃ fore in tantâ multitudine gubernationem.

Iam, vt i amabat Matrem, ita & filios complectebatur honorabatq̃, & res eius ceteras omnes: quod sequentibus indicijs intelligitur. Qui semel ei præfuerat, is perpetuò ab eo amabatur, colebaturq̃ perinde atque adhuc cum imperio præflet. Tantâ ei erant in opinione Sacerdotes, vt inter ambulandum, seu domi seu foris, dimidio palmæ spatium ab ijs retrò distaret, ne eorum latera vicinitate exæquaret; ijsq̃que præsentibus pauca, nec nisi verecunde proferebat. Quoties domi Sacerdos aliquis ætate grauior occurreret, decedebat aliquantum de viâ, morabaturq̃ tantisper, aperto inclinatoq̃ capite, dum Sacerdos transisset, tumq̃que ille pergebat.

*Amabat,
venerabaturq̃, homines omnes Societatis.*

De Professis Patribus ita scripsit: *Professorum ero obseruantissimus; vtpote quorum gradus plus mereretur honoris. Si quem Societatis*

tatis hominem in plateis fortè conspicaretur, protinus suavi alacritatis benevolentiaque significatione salutabat, ceterà licet ignotum, neque ad hoc temporis visum: rogatusque à socio aliquando, quid tantam in ignotos præ se ferret affabilitatem; respondit: *Quia fratres mei sunt.* Eaque familiaritate cum Patribus Fratibusque exteris domi versabatur, ac si pridem omnes noti familiareque fuissent. Quoties nostrum aliqui longinquis è mundi partibus aduentabant, ad complectendos eos, pro more legum nostrarum, diligentissimus aderat; eorumque, quibuscum fortè tum loquebatur, societate tantisper abdicatâ, ad id officij alacer aduolabat, quod iam inde Apostolorum memoriâ natum seruatumque à priscis Monachis ac viris Religiosis, illi amplexum pacis appellabant. Id verò faciebat vultu hilari, capite aperto, ac decenter prono, submisso ad terram corpore: opinatus sub hospitis personâ se Christum accipere, affirmantem, *Qui vos recipit, me recipit.* Hunc morem filios suos edocebat magnus ille Occidentalium Monachorum Patriarcha Benedictus, præscribens hanc legem: *Venientibus siue discedentibus hospitibus inclinato capite, & prostrato omni corpore in terrâ, Christus in eis adoretur, qui & suscipitur.* Hac cogitatione Ioannes hospites nostros

ex

*Amor in
externos
nostros.*

Matth. 10.

Regulâ 53.

ex more complectebatur; aiebatque, sibi quidem iucundissimum futurum fuisse, si venientibus abeuntibusque nostris signum aliquod ere datum fuisset, quo audito omnes ad ianuam descenderent, complectendi monstrandæque charitatis ergo. Singulari semper affectu (vt inter omnes constat) ferebatur in Fratres nostros Coadiutores, quibuscum magnâ quoque iucunditate versabatur. Nam cum ad alios indifferenter accederet, ad hos sub colloquendi horam se studio conferebat, quod cum illis pro suâ simplicitate candoreque videretur liberius de cælestibus rebus agere posse, sensusque in meditatione perceptos cum fructu effundere. Hos quoties vel eminus prætereuntes vidisset, statim nudato capite salutabat, etsi inuicem illi longitudine interualli salutantem subinde non obseruarent. Ipsi verò, quod sancti cuiusdam Adolescentis opinionem de eo comprehendissent, & consuetudinem eius expetebant, & fidenter etiam vt cum eo loquerentur, ab eoque instruerentur, ad se inuitabant. Et quidem etsi per concessæ colloquutionis tempus fruendi eius copia defuisset, cum fortè ad obeunda diebus Festis templa facultatem impetrassent, Ioannem sibi comitem dari à Superioribus exorabant; atque ipse cubiculo euocatus, facilitate magnâ, ingenuaque cha-

H ritate

ritate eis obsequebatur; nec per viam, nisi diuini de rebus, verba faciebat. Conspicatus aliquando collocutionis tempore, quemdam solitariè stantem, Patri cuidam quocum agebat, Quidni, mi Pater, ait, ad bonum illum Fratrem sine socio stantem, alloquendum recreandumque accedimus? Aliàs frequenter duobus simul Coadiutoribus visis, ipse tertium se admiscebat, officij præstandi causâ; aliorum suorum collegarum societate non inurbanè desertâ; qui studio eius approbato, mox ita inter sese: *Fateri denique necesse est, Iuuenem hunc reuera esse sanctum.* Dicit non potest, quantâ eos charitate, cum ægri essent, habebat. Sæpius visebat per diem, cælestibus, nec iniucundis colloquijs recreabat: æstate, feruentioribus horis, aquam eis è fonte recentem hauriebat, ori refrigerando propinabat, lauandis manibus affundebat; atque vt eorum corpora reficiebat aquæ recentis frigore, sic animos accendebat recreabatque ardente illâ charitate, quâ promptissimè illis seruebat. Diebus Veneris, quando Hortatio domi haberi solet, lubens à cœnâ, quæ dicta erant, ijs repetebat; quotidie verò historiam aliquam de beatissimâ Virgine adferebat. Cumque illi explorationum haberent, quâ ferè horâ venire solet, magno eius desiderio opperiebantur aduentum,

IOANNIS BERCHMANNI. 115
tum, lætiq̄ue iactabant, Iam mox aderit
Ioannes ad historiam narrandam. Et si quan-
do impeditus ad horam fortè non venisset,
Domus Ministrum exorabant, vt venire
eum iuberet, adeò præsentia illius consolari
se experiebantur. Quotidie ad ægrorum om-
nium lectulos promiscuè visibat, ab ingressu
nosocomij exorsus; eosq̄ue solabatur diutiùs
qui (quòd rariùs visebantur) maiore solatio
indigebant. Ex cubiculis, vbi maiores depre-
hendebat visitantium cœtus, breuissimè ex-
cedebat ad eos, quorum lectuli nullo confor-
tio cingebantur. Quoniam autem aliquan-
do per contagionis metum eâ visitandi li-
centia per dies aliquot domesticis fuerat à
Superioribus interdictum, Ioannes, qui visen-
di officio defungi pro more non poterat, ab
Ægrorum curatore diligenter quærebat, ec-
qui singuli valerent. Hanc tantam charitatis
prolixitatem non ægris modò, sed valentibus
quoque præstabat, quoties obsequium suum
poscebatur; vixq̄ue pronuntiatis verbis,
promptus, hac similive formâ respondebat:
Effectum dabo, mi Pater, & lubens. Si labo-
raret P. Minister de reperiendo quem so-
cium adderet egredi cupientibus, Ioannes
unicum eius erat perfugium, obtemperabat-
q̄ue semper, nullo commutato verbo. Ag-
quia semel à studijs ad comitandum auoca-
tus,

tus, (cū tuendis fortè Philosophiæ thesibus ardentius incumberet, temporeque egeret) senserat aduersus imperium internam quamdam obluetationem; & in præsens quidem, nullo dato signo, comitatus fuit, sed mox domum reuersus, ad suum illum animi motum aduertere, diebus aliquot singulare examen adhibere, maturas præterea considerationes infumere, donec paulò post, ad me venit indicatum, partam tandem, diuinâ ope, sui ipsius victoriam, neque iam vllam persentificare se repugnationem.

Peractis Philosophiæ disputationibus, sæpius eo Minister ad egrediendum utebatur, siue quòd plures eius appeterent societatem, siue quòd vacuus nullus illo promptior esset, aut magis præstò: euenitque subinde, vt vix cum vno aliquo regressus domum, denuò cum altero egredi iuberetur. Ac semel, flagrantissimis æstatis caloribus, ter quaterve die vno foras egressus, cubiculi eius contubernalis, vicem Ioannis miseratus, Obsecro te, mi frater, inquit, vide etiam atque etiam quid agas, neque per imprudentiam pecces, aut certè in morbum te calores isti conijcient. Tum ille placidè, Mi frater, ait, prudentiam ego Moderatoribus relinquo; obedire mea solius cautio est. Festo fortè die Scholasticus aliquis, feruentissimo leonis sidere, sub ipsum
meri-

meridiem egredi parabat: addubitans P. Minister quem ei comitem iungeret, Ioannem tandem designauit. Is in cubiculo repertus coronam rotariam voluere, nihilo segnius quam rogabatur, operam comitandi addixit, priorque alterum ad ianuam præuenit, qui eum tantis cæli caloribus ad Carthusianorum Cœnobium longè sanè à Romano Collegio abduxit; ibique vocato Monasterij Priore, cum eo seorsim in cubiculum secedente, Ioannem duorum à se cubiculorum spatio interclusum relinquit. Mox Cœnobio cum eo egressus, Ioannes disertè hæc socio verba infregit: Existimas, prò dolor, mi Frater, ignorare me quid intrò negotij gesseris; at ego plus nimio id habeo exploratum. Tu de vocatione tuâ deserendâ agitas; at non ita eueniet: ego pro te tam crebris Deum fatigabo precibus, vt respuere eam non valeas. Hic ille deprehensum se sentiens, obstupuit scilicet; & quoniam cum Cœnobiarchâ sic iam conuenerat, vt ille ad Rectorem in Collegium hac de re acturus veniret, quando nempe ipse Collegio abesset; Ioanni persuadere nitebatur, vt lectionis audiendæ obtentu, ad Professorum domum tantisper secum digrederetur. At obnixus Ioannes, Non, inquit, sed in Collegium reuertamur. quò cum illum perduxisset, statim ad me accurrens, rem

H 3

omnem

omnem uti erat explicauit. Ego Adolefcentem, probum fanè atque egregiè religiosum, protinus ad me accerfui, reperi omnem eius pugnam effe ab animi deiectione ac mœftitiâ, quâ sibi iam impar atque inidoneus arduis illis Societatis muneribus adminiftrandis, ac nullum operæ fuæ pretium facturum effe videbatur: quare in eam venerat opinionem, falubrius facturum, fi in locum aliquem fe reciperet, vbi fui folius cura gerenda effet. Confolatus fum trepidantem, fraudem ignorantem detexi, à turbatione ad tranquillitatem haud grauatè traduxi; præcipuè, quòd amaret magniquè duceret Societatem. Gratiâs mihi habuit, viuitq; etiamnum inter nos opinione probiffimi viri, atque operæ ftrenuiffimæ famâ. Huius tamen facti laudem malignus dæmon Ioanni in calumniam vertit ad extremam vfque vitam, quemadmodum loco fuo commemorabo.

Res altera momenti maximi, dignaque quam eius imitatione vniuerfi amplectamur, illa eft: quòd Ioannes propter auguftam illam exiftimationem, quæ ei de Societatis inftituto ac moribus iam nata erat, hanc quoque de eâ apud fe fententiam ftatuebat: Societatem nimirum tam bonis effe legibus vinctam, tam aptè conftitutam ex præfcripto Euangelicorum Confiliorum, vt fi nos
ad

ad amissim communi eius vitæ accommo-
darem, si ordinem, si leges eius teneremus,
non solum in viros sanctos ac perfectos, ve-
rum etiam ad ipsum virtutum omnium cul-
men, gradumque editissimum perfectionis,
re nullâ aliâ adhibitâ, euaderemus. Atque
utinam verissimum id esse intelligerent cul-
tores omnes religiosæ vitæ, qui sæpe non con-
tenti sanctorum suorum fundatorum legi-
bus atque institutis, temerariâ quadam auda-
ciâ, atque imprudente impetu amant res no-
uas adiungere, ambulantes in mirabilibus su-
per se, insolitâ quadam seueritate ac contra-
ctione, de quâ tandem imbecillior natura re-
mittere cogitur, referunturque retrò ipsi, im-
manibus deiectionibus, tantaque celeritate
desistunt, quantâ susceperant leuitate; aut,
asperiores reputantes virtutis viam, defi-
ciunt, abijciuntque in vitia sese & licentiam;
aut cæco sui amore capti, inflati que, dicunt
cum Phariseo: *Non sum sicut ceteri hominum.*
indeque in præcipitia prouunt, vnde incon-
sultius eniti moliebantur; aut denique vale-
tudinem celerius labefactando, student ad-
piscendis inter Religiosos commoditatibus;
aut si ijs non student, Ordo ipse Religiosus,
vtpote materno in suos affectu, communi
charitatis impulsus impetu, eas illis, quas po-
test decetque, immunitates indulget. Atque

ita, qui sublimiùs volare conabantur ceteris, nec ceteros æquare passibus, nec communem cum ijs vitam aut leges valent obseruare. Ioanni certè non erat hæc morum via, qui communis vitæ amantissimus, pro insigni ducebat asperitate ac perfectione, alligare se accuratè seruandis legibus quotidianæ vitæ, illudque vsurpabat: *Mea pænitentia maximè est vita communis*. Contrà verò, instar pestis, singularitatem omnem in se, alijsque oderat ac defugiebat, principijsque suis hoc quoque adscripserat: *Sequi in omnibus communitatem, & maximè odisse singularitates*. Scriptum reliquit, *Singularitatem esse recessum quemdam abductionemque à communi more ac consuetudine sine necessitate aut causâ; eius actus esse, ambire, aut citra necessitatem sumere cibos, vestes, resve singulares. Communibus se aliorum omnium occupationibus eximere: quale esse, aiebat, si quis præter Societatis morem, communi se aliorum relaxationi subduceret, similibusve (quæ obeunt ceteri) exercitijs se suffuraretur: neque eo tolli actionis singularitatem, quòd Superiorum approbatione aut permissu facta esset, sed demi malitiam solummodò iudicabat, cum sic esset scilicet obedientiæ permissu facta. Ad extremum adiungit, *singularitatem inimicam esse charitati, vitam vero communem* (præterquam quòd longè*

De singularitatis vitio.

Communi se colloquio subducere, singularitatis indicium est.

longè tutissima sit) *certissimum esse medium
obtinendæ sanctitatis, procul omni periculo ina-
nis gloriæ.*

Insuper dicere solebat, quemlibet scire de-
bere, quemadmodum se ijs accommodare
oporteret quibuscum viuit; eamque virtu-
tem esse propriam operantium Societatis,
qui vni animarum quæstui intenti, illud Pau-
li usurpare possint: *Omnibus omnia factus sum,
vt Christum lucrifaciam.*

Viuebat nobiscum Ioannes eo animi pro-
posito ac decreto, vt nulla omnino in re esset
singularis; sed contra perpetuò se ad com-
munem vitam fingeret, atque accommoda-
ret; vt quodlibet communis vitæ opus, quan-
tumuis minimum, perfectione maximâ præ-
staret; atq; hanc laudem sic iudicio omnium
abstulit, vt per fugam singularitatis, sectando
communis vitæ vestigia, planè supra commu-
nem virtutem omnium extiterit singularis;
non eâ solummodò re, quòd minima maxi-
mi fecerit; sed quòd minima illa, quæ singu-
lis in rebus accuratè obseruabat, fuerint in-
star vermiculati cuiusdam ac versicoloris
encausti, quo res quæque iniustæ atque orna-
tæ, Deo hominibusque gratiores & pretij et-
iam maioris reddebantur. Nam sane qui mi-
nima illa rebus communibus dempserit, si-
mul eis splendorem, pretium perfectionem-

H s que

*Omnibus se
accommo-
dabat, et-
iam in lu-
su.*

que detraxerit. atque illud in re minimâ non minimo subseruiat exemplo. Non iuuabat Ioannem lusus, sed magis differendo disputandoque capiebatur. Tamen vacationum diebus (cùm Scholastici in vineam eunt) si à quoquam ad ludendum inuitaretur, ijs horis quibus fas est vel trudiculis ludere, quibus in oblongâ mensâ per angustum fornicem, mobilemque sphæram eburneæ pilæ traijciuntur; vel laminis saxisve missilibus quæ ad signum propositum manu proijciuntur, colludebat, vt alijs se accommodaret.

Quemcumque recens aduentantem admittebat in societatem lusus, etiam si per dendi certus fieret, imperitiâ accedentis, & quidem omni animi contentione ludebat, neque aliud intereâ verbis atque animo agebat, ludebatque dexterè ac scitè. Numquam prius ordiebatur, quàm salutare Crucis signum publicè expressisset; quod omni item actui præmittebat. Numquam in lusu aut verbis contendebat, aut vocem clamosiorē edebat; seu dexterè caderet iactus, seu sinistrè. Si vincebatur, statim genibus flexis Angelicæ salutationis sponsionem victoribus persoluebat; si victor erat, neque insolenter gestiebat, neque victis insultabat. Quæ omnis adiunctarum rerum collectio, lulum (rem alioqui genere suo mediam atque indifferentem) erigit

erigit in præstantiam actionis bonæ ac laudatæ.

Plurimæ id genus res de Ioanne commemorari possunt, quas qui historiæ grauitatem ijs narrandis violandam esse putarent, silentio essent præterituri; at ij qui veriùs sanctitatem religionemque æstimant, soliti non ad splendorem, sed ad vtilitatem referre virtutes, totidem esse margaritas iudicabunt, legendique gratulabundi. Et ego, qui aliud, quam prodesse plurimis, propositum mihi nihil habeo, ea scribo, vt adolescentibus nostris, qui in studia incumbunt, pro regulâ sint atque exemplo vitæ quotidianæ. Ac tria præterea supersunt particulatim enarranda. Primum, quantâ diligentiam animum ad scientiarum studia applicarit. Alterum, quas præcipuè virtutes ostenderit exercueritque in actionibus officijque domesticæ vitæ. Tertium, quantum pietati religionique deditus fuerit.

Quantum ad studia Romana attinet, tribus præceptoribus vsus est. Philosophiæ vno, qui triennio ei Logicam, Physicam, Metaphysicam explicauit: altero Mathematices, quam simul audiendo Physicam didicit: tertio Ethices, quæ ei Metaphysicæ tempore tradita fuit. Hos eximio quodam amore reuerentiaque complectabatur, pro ijsque

Quo aduersus Præceptores animo.

per

per diem bis minimum orabat quotidie. Illi
 verò à quo Philosophiam docebatur, extre-
 mis vitæ mensibus, schedam ineunte ferè
 mense in cubiculum adferebat; quo certum
 orationum pœnarumque (quas pro eo per
 eum mensem penderet) numerum oppigne-
 rabat: quem eundem morem sollemniori-
 bus quibusdam Festis erga Admodum Re-
 uerendum P. Præpositum Generalem inge-
 nuâ simplicitate seruabat. De eius ingenio,
 studendi que ratione, ita Philosophiæ Profes-
 sor testatus est: *De studijs Ioannis illud primum
 affirmare possum, præter ingenium excellentis-
 simum, rerumque simul multarum sublimi in gra-
 du capacissimum, fuisse in eo studium diligen-
 tiamque singularem, quam non posse omnino à
 quoquam superari existimo, cuius similem vidisse
 me in ullo alio non memini. Deinde eò cogita-
 tiones suas omnes intendebat, ut omnes ad res,
 etiamsi fortè numquam profuturas, idoneum se
 redderet; ratus debere vnum quemcumque So-
 cietatis hominem (viti ille mihi loquebatur) ha-
 bere pectus amplum, capaxque vel dimidiati mun-
 di. quare nulli parcebat studio aut labori ad res
 omnes, linguas, disciplinas, scientias perdiscen-
 das. Denique in studijs suis ita perpetuò è Præ-
 ceptorum suorum iudicijs præceptisque pende-
 bat, ut nihil omnino faceret arbitrio suo, gauderetque
 rationem eis reddere laborum suorum, minima-*
rumque

rumq; rerum, summâ cum honoris significatio-
 ne. Illud prætereâ antiquum illi erat, in
 orationibus, commentationibus, collectioni-
 busq; animi, de studijs seriò peragendis, fir-
 miter secum statuere; ad quæ subinde hisce
 verbis scriptis sese excitabat: *In Religionem
 venisti, non otij, sed laboris gratiâ. Hæretici
 tanto conatu studia sua aduersus Christum con-
 ferunt; tu pro tuendo Christo diligentiam inter-
 mittes? Seculares contentione tantâ ad inania
 honoris præmia labores conferunt studiorum, &
 tu minùs diuinæ gloriæ cupidus eris, quàm illi
 laudis suæ? Serio te igitur ad studia applicato;
 nullam vel minimam temporis particulam per-
 dito, & quidquid inter disputandum exceptu
 dignum audieris, adnotato.*

Semper igitur duo illa, quæ apud se decre-
 uerat, constantissimè tenebat: & quem nul-
 lus frangebat labor, tum quoque maxima-
 rum rerum effectrix constantia egregiæ eru-
 ditionis fastigio collocauit. Iam, ne quid tem-
 poris otioso efflueret, perpetuò secum habe-
 bat libellum aliquem aut sacrum, aut studijs
 vtilem; eumq; si quo loco diutiùs ei reman-
 endum erat, statim explicabat, legebatq;.
 Calamariam thecam ad disputationes sem-
 per adferebat in scholam; altissimoq; silen-
 tio ad argumenta responsa q; attendens, re
 nullâ aliâ distractus, si quid audiret expeditu
 diffi-

difficile, aut clariùs explicatum, breuiter excipiebat scripto. Alterumque prætereà libellum sibi confecerat, titulo, *Boni Scholastici Societatis*, in quem documenta varia è Regulis maximam partem decerpta congefserat, vtilem fanè nostris omnibus, quemque his verbis absoluit: *Denique memor sit in omnibus se filium esse adeò bonæ Matris Societatis IESV.* Magni omninò faciebat doctrinam Præceptoris sui, omnesque eius opiniones non solùm tuebatur ipse, sed & collegas, vt id quoque facerent, adducebat. Ad aliorum Professorum scripta numquam diuertebat, vixque etiam oppugnari sententiam Magistri sui patiebatur; qui sensus eius cum publicè notus esset, subinde nonnulli Patrum, præfente Ioanne, per iocum sententiæ alicuius auctoritatem eleuabant, vt Ioannes ad tuendam eam (quâ erat animi alacritate ac promptitudine) acriter se obiectaret.

In cubiculo stans semper studebat quiete magnâ, dubitationesque breui excipiebat chartâ, Magistro mox proponendas. Si quid in dictatis occurrebat perplexius, quod explicare ipse non valeret, animum, instar præparati foli, explicabat Deo, ad diuinæ sapientiæ fatus excipiendos, orabatque genibus flexis: *Domine tu scis, hanc me rem absque ope tuâ per tenuitatem meam assequi non posse:*
obsecro,

obsecro, adesto mihi hallucinanti. Da mihi, Domine, sedium tuarum astricticem Sapientiam, ut mecum sit, & mecum laboret: aperi mihi huius rei intelligentiam. Asserebatque, se multum hac prece lucis impetrare. Tempus studijs assignatum, vniuersum studijs impendebat, nisi fortè contentionem remittere cogeret capitis dolor, quem aut sacri alicuius libelli, aut Rosarij recitatione mitigabat.

Quantumuis in studia esset procliuus, promptissimè tamen ea absque omni etiam repugnatione interrumperebat, quocumque alio negotio sibi à Superioribus dato, seu Sacris ministrandi, seu alios foras comitandi. Præceptorem suum honore longè maximo obseruabat. neq; triennij tempore rem vllam (quæ meritò ei displicere posset) aut factò aut verbo admisit: apud omnes numquam nisi honorificentissimè de eo locutus. Quoties ad Magistri cubiculum ibat, dubiorum proponendorum causà, si intrò adesse aliquem percepisset, foris ipse expectabat; aliòque egresso, ingrediebatur oculis demissis, nec in eum intuens: quòd iam nosset scilicet quem alloquebatur; habitoque honore, aperto manebat capite, dum iussus operire, tegeter quidem, sed nouà quaque proposità quæstione, denuò nudaret, tegeterque (ut si bene moratus filius adstaret patri) quod interloquen-

loquendum quoque cum Superioribus tenebat. Tum dubitationes Magistro proponebat, Latino semper sermone: ac si primâ statim explicatione responsionem non caperet, post exiguam cogitationis moram, modesto cum risu, apertè simpliciterque respondebat; *Verè, Pater, non intellexi.* at quando assequeretur quidem, sed tamen propositæ abs se quæstioni iudicabat non esse penitus allatam lucem, ne contendendi studio videretur Magistri sententiam oppugnare velle, ad eum modum respondebat, ac si suæ vitio tenuitatis tenebras nondum penetrasset, quibus diffusis, mox reddito inclinati capitis honore, discedebat. Si quando autem vnâ cum alijs collegis in Professoris fuisset cubiculum per causam aliquam aduocatus, quamprimum opportunè poterat, religiosâ se libertate recipiebat, abibatque gratiâ tantâ, vt remanentium nemo offenderetur. Prius aliquantò egredi cubiculo consuêrat, quàm scholæ signo manè vesperti que vocaretur, ibatque ad Templum, salutaturus, vt dicitur, augustissimum Eucharistiæ Sacramentum: sed signo audito, erigens se, subito ad portam festinabat, ibique ceterorum expectans conuentum, legendo libello suo id temporis occupabat. Ad scholam ibat redibatque seuerè sibi indicto silentio. In scholâ scriptioni sic atten-

attendeat, ut nec de libro oculos tolleret. Numquam de Magistri dictantis velocitate questus est; sed si quod ei verbum transiliendum fuerat, aut à scholâ, si permetteret tempus, reponebat è proximè assidentis libro, aut domi, petitâ à Superiore facultate, è collegæ cuiuspiam codice excerptum restituebat. Si audiret dictanti Magistro grauem excitatum esse ab aliquo strepitum, vultus indicio id ægrè se quoque ferre ostendebat, ut auctores admoneret, quietemque conciliaret. Audito signo ad lectionum disputationumque finem, protinus erigebat sese, obedientiæ nimirum præstandæ obsequio: si verò lectio disputatione solito longius extraheretur, tum ille contorquere sese, ac veluti prunis candentibus insistens propè diffluere. Lectione finitâ, pro more, Nobilioribus quibusdam adolescentibus eam medio horæ spatio repetebat: eratque res admiratione digna, videre quantâ eum demissione colerent, obtemperarentque. temporis constituti spatio lapsa, statim omnibus ad scholæ ianuam relictis abibat, ne perfectè quidem reddito quæstionum responso, ut leges obseruaret. Domesticas repetitiones, disputationesque silens attentusque auscultabat; ac si suæ essent disputandi vices, insigni id præstabat alacritate, iustoque relicto spatio, (quo is, cui re-

I spon-

spondendum erat, & repeteret obiectionem, & responsum suum ipse pro commoditate explicaret) nihil interpellabat. Tum demum responsum acriter oppugnabat, nullâ quidem inflammati animi, vocisve erumpentis concitatione, sed æquali solitaque tranquillitate. Si contrâ respondendum illi erat, felicissimè disputantium ratiocinationes totidem planè verbis repetebat, respondebatque accuratè, non minore claritate quàm ordine, ac viâ, depressis semper per modestiam oculis: vtque manifestum sit temerè nihil à Ioanne in rebus licet minimis fieri solitum, sed consultò omnia ac præfinitò, placuit hoc loco prodere quod examine studiorum imminente fecit; exile quidem illud, sed fortè non inutile studiosis.

Admonitus examinatum se iri de vniuersâ Philosophiâ ad 19. Martij, die S. Iosepho festo, anno M. DC. XXI. præparauit exemplò sese, præparationemque adhibitam ita litteris consignauit: Præses examinis huius esto S. Iosephus: deprecatrix beatissima Virgo. Primò, vt feliciter eueniat, semel flagello e funiculis texto meipsum accipiam; pœnam aliquam publicè in triclinio obibo; Rosariam coronam vnâ recitabo; denique faustum Patris Rectoris auspiciam adhibebo. Si fortunatè verterit, tria S. Iosepho Rosaria adnumera-

merabo, &c. Manè dictata percurram, ab illius istiusve materiæ tractatione exorsus. Et si sanctissima Virgo sanctusque Iosephus annuerint ut vniuersam peruasero, huius illiusve operis præstandi reum me faciam. Animum præsentem adferam ad ipsum examen, respondeboque alacriter, atque è formulâ semper, *Nego, concedo, distinguo, explico*. Responsis interdum inferam breues exceptiunculas, *verbi gratia; nego & do instantiam*. In explicando non fusus, sed astrictus ero, & clarus; longioribus verborum explicationibus non prius respondebo, quàm vel à Magistro, vel à me fuerint collecta. Hisce tam minutis se rebus astringebat, parabatque, consilio salubri magis quàm specioso. Sacer-

*P. Ioannes
Gouda.*

*Ut se ad
ruendas
Philosophicæ
quæstiones
compara-
rit.*

studioque ad eam obeundam comparauit. Vnum prætereà addebat, quo facile liquebit, quàm procul omni honoris ambitione auraque populari haberet animum, qui non tam doctrinam, quàm virtutem, vnicum doctrinæ decus, affectabat: nimirum consuluit conscientiæ Præfectum, (qui illi quoque à pœnitentiæ sacris erat) forètne è maiore Dei gloriâ, efficere omni conatu ne publicè Philosophicas quæstiones tueretur, an potius quod sibi munus iam impositum erat, nullâ recusatione susciperet, nec ne. Atque ille ex vnâ iam dicti Patris sententiâ pendebat, haud dubiè facturum quidquid ille suafisset: sed is modestissimâ quidem iuuenis contentiâ latus, ne omnino tamen intercederet vllûmve obijceret impedimentum, adhortatus est. Quo auctore, positas de vniuersâ Philosophiâ theses publicè propugnauit VIII. Idus Iulias anni M. DC. XXI. non minore ingenij, quàm modestiæ eruditionisque laude: quippe qui perfecta semper extiterat imago probi Scholastici Societatis nostræ.

Alterum quod restat pertractandum, illud erat, quantâ perfectione res eas obibat quotidie, quæ ab Alumnis promiscuè administrantur, quo tempore studijs operam dant, quamquam pauca id genus supersint, post bonam seriem rerum iam suprâ allatarum.

Obfer-

Observantissimus semper extitit suorum Superiorum, in quibus, utpote Dei Vicarijs, diuinam auctoritatem reuerbatur; quos nunquam, nisi iuberetur, aperto alloqui capite sustinebat: quorum non solum mandata, sed & iudicia comprobabat; quibus denique domesticorum omnium animos ita conciliare nitetur, ut aequali amore reuerentiaque aduersus eos ferrentur, iisque pari fiducia, sine fuce, verborumque inuolucris, mentis etiam patefaceret adyta. quae de re sic in haec verba scripsit: *Apud Superiores meos & Patres spirituales esse conabor candidus totus & sincerus, & veluti aqua purissima.* Neque solum non sensit ullam unquam ab aliquo Superiorum animi abalienationem, sed neque cogitando sibi in mentem venisse ullius auersionis, aut ab ullo Superiorum, aut eorum praecipis, aut iudicijs & opinione indicavit, tanti eorum faciebat auctoritatem.

Qua eius reuerentia in Superiores.

Trium mihi rerum rationem hebdomadis singulis constantissime reddebat; an silentij leges obseruasset; an de rebus sacris sermonem instituisset; an propositorum inter orandum factorum tenax fuisset. Tria sibi esse solatio praeter ceteris in vita, dicebat; primum, castitatis illibatae florem abs se esse perpetuo conseruatum: alterum, numquam deliberata voluntate commissam abs se

Trium rerum rationem reddit quibusque hebdomadis. Tribus praecipue fruitur solatijs.



vllam venialem culpam: postremum, potuiff-
se se. semper de internis animi sui rebus cum
Superiore, tamquam cum ipso Deo, tractare.

Quotiescumque, religionis ergô, pœnam
aliquam decerni sibi à Superiore petebat,
supplicem se cuiuscumque Superioris geni-
bus aduoluebat. Numquam defugiebat vl-
lius rei sibi impositæ administrationem, sed
absque omni recusatione suscipiebat. Iustus
ministrare Sacro Sacerdotis cuiusdam, qui
benè diu faciebat, & incommodâ studiosis
horâ, pluribus id mensibus egit, nihil un-
quam questus. Aliàs ægro in ministrum da-
tus, qui Sacris incertâ, pro valetudine, horâ
operabatur, cum ædituus se molestiam illius
dolere diceret, At mihi, inquit, numquam
molestum est ministrare Sacris. Quoties ad
Ædem IESV seu sollempnis seu priuati Sacri
causâ mittebatur, ingrediendo egrediendo-
que Sacrarium, breuem semper orationem
genibus fundebat flexis; ac si remanendum
diutiùs foret, in angulum Sacrarij silentio se
recipiebat, voluebatque aut Rosarij sphæru-
las, aut libellum suum sacrum, aut Psalmos
tacitus recitabat.

Cum in Professorum Domum quem-
piam comitatum mittebatur, ex eo sciscitari
solebat, multine temporis res esset quam tra-
ctandam haberet: illique se temporis aptans,
tantif-

*Obedientiã
quanta.*

*P Ioannes
Baptista
Ferrati.*

*Marcus
Anton.
Doria,*

tantisper in Templo orabat, lapsoque iam propè spatio ad portam orans legensve operiebatur, ut socio redituro præstò esset.

Gaudebat se ijs comitem iungi qui per fora Dominicis Festisq; diebus conciones Romanæ cogunt ad tradendam doctrinam Christianam. Alumnos nostros Scholasticos, quibus nondum concessum est aliorum procurare salutem, aiebat, similes esse molossis illis fidelibus, quos heri catenâ vinctos domi cohibent; sed diebus Festis solutos mitti in forum ad allatrandos peccatores. Contigit fortè eum mitti concionatum die Festo aliquo in loca vicina Mariæ de Montibus. Hic in satellitium quoddam incidit rixâ contentionibusque egregiè inflammatum, simul alij nonnulli (quibus illic ludendi cupiditas incesserat) cessuros se loco negabant, iubebantque faceffere Ioannem cum suâ, quam insistere nitebatur, sedeculâ; affirmantes sibi constitutum esse ludere, non verba audire.

Ioannes nullo commutato verbo, in proximam Virginis ædem ingressus, orationi se dat, moxque reuersus, atque ad dicendum animum comparans, monetur à socio, videat ne contumeliam aliquam insignem à petulantissimo illo hominum grege accipiat: at ille socio, Ne dubita, inquit, nam ego de beatissimæ Virginis ope sic spero fidoque, ut

Gaudet in plateis & foris catechesim docere.

Fiducia in beatissimâ Virgine.

*Mira petulantissimi
cœtus commutatio.*

simul ac me audituri sunt, protinus sint rebus omnibus abstenturi atque accursuri. Quamprimùm in scamnũ suppedaneum ad dicendũ surrexit, vix cœpta Salutatione Angelicã, fatellites, intermisso iurgio; lusores, abrupto lusu, ad audiendum conuenere, dimissaque concione, simul eum omnes in Collegium æquali obseruatione ac quiete comitati sunt.

*Domesticis
seruitijs
erudiendis
proficitur.*

Data ei erat à Superioribus prouincia erudiendi seruitij nostri domestici. Id hominum genus rude atque incultum diligentissimè instruxit rebus omnibus necessarijs ad salutem; iussitque animos expiare sæpius (quod singulis alioqui mensibus, ni faciant, nostrã ijs interdictum sit Domo) & semel minimum quot mensibus sacro se epulo recreare, Rectore ipso faciente, diuinumque pabulum erogante. Munus ei fortè à Ministro commissum erat curandi cubiculi, quo utebatur spiritualium rerum Præfectus: hoc Ioannes tanto colebat nitore, tanto studio ab omni necessariã suppellectili instruebat, vt & Pater miraretur, neque quemquam ille nactus sit officij diligentia parem; istud verò speciatim prædicabat, numquam ab eo quietem suam fuisse obturbatam, numquam vniuerso officij illius tempore verbum vllum superuacaneum Ioanni excidisse.

*Charitatis
studium in
alieno cubi-
culo procuranda.*

Fidus cubiculi sui custos, non sine necessitate

tate

tate prodibat, dicere solitus; Societatis operarium cum in cubiculo delitescit, debere in lucem protrahi desiderio procurandæ alienæ salutis; cum verò iam prodijt ad opem animis proximorum impendendam, debere rursus reuocari desiderio cubiculi, ne scilicet diuturniore solitudine torpeat, aut effusâ nimium consuetudine elanguescat. Reperiunturque crebrò in schedulis eius scriptis hæc repetita verba: *Amabo cellam.* Quoties eiusdem sui cubiculi contubernalis in cubiculum reuertebatur, perpetuò erectus in pedes aperto eum capite salutabat. Numquam ipse in cubiculum redibat, nisi expresso Crucis signo, lustralique aspersus aquâ, & breui de genibus oratione dictâ. Quamdiu intrò in cubiculo versabatur, mensæ adstans, aut assidens, tantâ degebat quiete, vt numquam vel momento grauis fuerit contubernali; cui, quoties quid se velle diceret, Latinè ex præscripto semper respondebat.

Cum semel ei contubernalis suus dixisset, licere sibi de Rectoris auctoritate cum eo dubitationes suas Philosophicas per diem conferre, ipse deinceps prior eum admonere, perinde ac sua utilitas ageretur. Si verò focij sui valetudo fuisset morbulo aliquo tentata, Ioannes biduo triduoque lectum eius sternere, officiaque omnia deferre. Tam illustria

Amor solitudinis sollicitudine sanctorum mixtus.

Qualis in cubiculo.

Beneuolentia spontanea studij.

virtutum documenta edebat suis illis eiusdem secum cubiculi habitatoribus, ut cum fortè aliquando (vti fit) contubernij superior statuisset Adolescentulum quemdam, qui Ioanni adhabitabat, in aliud immigrare cubiculum, tanto ille gemitu dolorem suum est testatus, ut è re esse iudicatum sit, non dirimere tam vtilem charamque societatem; adeò se præstantibus virtutum incitamentis spoliatum iri per eius absentiam querebatur, cuius in eodem cubiculo præsentia inflammari se non secus atque Angeli cuiusdam conspectu assererat. Enitebat in eius cubiculo quidam paupertinæ inopiæ splendor: nec librum, nec rem vllam non necessariam apud se habebat; quin palimpsesti cuiusdam gypsatas tabellas, tamquam superfluas, domus Ministro restituebat.

*Cubiculi
paupertas.*

*Rebus omnibus se
spoliat.*

E Belgio Romam profectus, cingulum visum sibi aliquantò quàm aliorum præstantius, vestium curatorum seruandum dedit, sumpto alio viliore. Imaginibus quoque, quas bono numero (vt discedenti datae erant) attulerat, se abdicauit; ijs solùm retentis quibus illi sua nomina inscripserant, qui preces eius flagitabant: atque his quoque, cum rogaretur, haud grauatè se nudauit: quin omnes deinde vel è Belgio, vel à ciuibus suis dono acceptas, Rectori offerebat, eiusque ad ostium,

ostium, si abesset, relinquebat; quem eius morem vel hoc signo habebat exploratum. Quòd autem aliquando vnã è chartã icunculã fratri alicui priùs dedisset, quàm à Superiore (qui non reperièbatur) facultatem impetrasset; etiã si quidem & petendã postea facultatis proposito, & opinione facillimi consensus eam donauisset, reliquo tamen vniuersã vitæ tempore factum deplorauit, idem tamen se culpæ illius apud Rectorem accusans, quam ne obliuio deleret, memoriæ ita commendauit: *Semel vnã imaginem dedi alteri, non priùs petitiã facultate.* Etiã si, vt dictum, petendã facultatis haberet voluntatem, & crederet donationem à Superiore approbatum iri. Die quodam rarã cum animi lætitiã dixit, se, Dei gratiã, nihil iam habere, ne imaginem chartaceam quidem; & si quid reliquum habuisset, protinus allaturum fuisse ad Rectorem. Quamquam non modò non habebat, sed ne habere quidquam cupiebat; sic omni vacabat creatarum rerum cupiditate. Sæpiusculè ab eo scriptum reperio, nulli rei animum habuisse affixum, sed omnibus expeditum. *Nulli, inquit, rei sum affectus; nihil habeo cui afficiar.*

Non rebus modò, sed affectu verum quoque se exiit.

Amore quodam singulari Religiosæ paupertatis, quamprimùm manè luce hiberni
folis

Amor paupertatis.

solis ad studendum poterat uti, lucernulæ suæ lumen extinguebat. Re qualibet, quæ utenda ei dabatur, facillimè erat contentus, nec umquam doloris vlllo signo minus sibi satisfactum esse ostendebat, quin petendis necessarijs verecundum se domesticis opificibus præstabat. A Patre quodam ad Cardinalem Bellarminum adductus, cum rogaretur deinde domi, nihilne ei Cardinalis dedisset; nihil dedisse respondit, neque etiam si obtulisset, fuisse accepturum: quo responso ad Cardinalem relato, laudatus ab eo fuit; narrante eandem illam fuisse beati Aloysij conditionem, qui pauperrimus esse gestiebat.

*Paupertas
oratorij.*

Toto contubernij separati tempore, non alia Crucis imago in eius oratoriolo fuit, quàm è vili rudiq̃ue ligno, atramento picta, altitudine palmæ, ante quam orabat prostratus. Ad ægri morientisq̃ue lectulum parieti affixa erat chartacea imago Virginis infantulum IESVM brachio complexæ, nec absimilis altera haud procul museoli mensâ. Rosario utebatur ebenino, sed obsoleto, nec integro; præstantioribus, quæ subinde offerebantur, repudiatis; negans altero se egere, quamdiu vile illud suum haberet. Optabat res verustas sibi utendas dari tamquam pauperi, & pro suo in paupertatem affectu, ipsas chartæ, in quâ scribebat, oras explebat, litteris in angustum,

stum, parcimoniæ studio, compressis. Magnâ *Cura ni-*
 seruabat curâ res vsibus suis datas, dicebat- *torq; su-*
 que, nos similes debere esse statuis, quibus *pellectilis*
 sus deque est, an nouo an vetere induantur *conseruan-*
 vestimento, an nudæ sint, an ornata. Supel- *da.*
 lectilem omnem mundam custodiebat, non
 inanis alicuius munditiæ studio, sed obse-
 quio legis, iubentis rationem nitore ab vno-
 quoque habendam. Cubiculo non prius ex-
 ibat, quàm mensulam decenter composuisset.
 Vesperi cum ad somnum in lectulo se
 componeret, eo se locabat situ, quo supra de
 Tyrocinijs eius moribus dictum est; in eoque
 noctem totam immotus constanter ad auro-
 ram vsque perseuerabat. Rogatus, quâ ratio-
 ne dormiret; respondebat: Cum ad primam
 surgendum mihi est, expergiscor horâ primâ;
 cum in secundam dormiendi mihi facta co-
 pia est, somno non excitor ante secundam.
 A Ministro iussus erat præstò esse Rectori
 Sacrum semper à primâ auroræ oratione fa-
 cienti. At Rector, de tenui eius valetudine
 monitus, eo munere liberatum, dormire in
 alteram iussit horam. Ioannes morem gessit;
 contubernalemque suum obtestatus est,
 manè nullâ sui vt habitâ recordatione surge-
 ret, strepitumque ciceret, aut quiesceret, per-
 inde atque si ipse abfuisset, eam se gratiam
 diuinitus obtinuisse, vt nocte totâ altissimè
 dormiat,

dormiat, à primâ somni horâ vsque ad extremam; nec priùs expergefieri, quàm quâ horâ vigilandum sibi foret, quantumuis magno strepitu concitato.

Manè igitur perpetuò audiebat surgendi è lectulo signum, ratusque vocari se à Deo, respondebat: *Domine, quid me vis facere?* tum vestiebat sese. Excitatoremq̃ue consueta nobis formulâ *Deo gratias* apprecantem, resalutabat liberaliùs verbo vno: *Semper Deo gratias*. Vilissima domus officia singulari voluptate administrabat. Frascatam missus ad subseruendum cærimonijs Hebdomadæ sacratoris, mox vltro domesticis gradibus expurgandis operam dedit; ceterorum post se aduentantium calceos, luto sordibusq̃; aspersos, clanculum extersit; rogatusque à quopiam (quem fallere non potuerat) cur id fecisset; modesto risu responsum declinavit. Extra dies geminos quibus hebdomadatim in triclinio operam suam locabat, cum binos præterea à Ministro concedi sibi flagitasset, obtinuit scilicet, ampliusque inedia diebus omnibus ad auferendam vesperi mensam aduentabat.

Incredibile, quantâ sollicitudine partitis sibi mensis seruiebat: nam vt oculis parcissimè indulgeret, illud tamen sagacissimè prouidebat, ne quid deficeret accumbentes. Illis verò

*Vilissimis
delectatur
officijs.*

verò haud paullò ministrabat libentiùs, qui publicis defuncti laboribus seriùs in triclinium veniebant: sub initium finemque seruiendi, ad orandum in genua se submittebat, postremus ferè ministrorum triclinio excedere consuetus.

Sabbati diebus omnibus manè ac vesperi in culinà eluendis lancibus operam nauabat: deprehensusque à Rectore inseruire mensæ frequentius, cùm id ei vetaretur, tam alacriter desijt, quàm promptè antea ministrarat. Non possum non referre hoc loco rem & à nostris domi, & ab externis sæpiùs obseruatam; nimirum Ioannem, finito anterioris mensæ ministerio, solitum in templum venire ad venerandam sanctissimam Eucharistiam, interuallo illo quod inter priorem alteramque interest mensam; ac tum si signum prandij daretur cùm aut curuare genua cœpisset, aut incuruasset, abruptà statim aut intermissâ genuflexione, ad triclinium redire, diligentissimè notatum: adeò promptè exacteque legibus parère consuevit. Nemo Scholasticorum illo frequentior aut publicas in triclinio pœnas de seipso sumebat, aut demissionis mortificationisque specimen dabat. Septimanis singulis pannosâ lacernâ aut veste suâ genus aliquod humilioris exercitationis publicè edebat, salubri multorum exem-

*Publica in
triclinio
demissionis
exercitia.*

exemplo: atque vt leues hafce contumelias duceret, non eò tamen negligebat: quin aliquando mihi affirmavit, fingulari fe toties dulcedine perfundi diuinitus, quoties vel Patrum Fratrumque accumbentium pedes exoscularetur, quos ambabus ille manibus non sine amoris cuiusdam fignificatione, prehensabat. Quà ego re compertâ, cum ad me vltro pœnam aliquam subeundam publicè exoraturus veniret, dicere illi cõfueueram, Subi pœnam illam tibi fuauem ac iucundam.

Non solùm (quando ei per hebdomadam id munus obtigerat) mēfarum analec̃ta sportulis feruata ad portam lætus pauperibus erogabat, sed quoties is, cuius ea cura, aut æger aut occupatus aberat, vel indicasse id Ioanni sufficebat vt promptissimè aduolaret; eratque vulgò per fugium omnium ad id genus officia ambitiosissimè suscipienda, si quis impeditior vicem ei suam demandasset. Purgandarum curandarumque lampadum (quæ per Domus ambulationes & porticus lucent) munus impositum ei fuit; quod olim quoque in Romano Collegio B. Aloysio fuerat commendatum: nec facile verbis exprimi queat, quantâ hoc negotium procuraret curâ, vel solâ recordatione Aloysij, à quo sibi lampadem quasi tradi, non infausto omine gestiebat. Igitur nullo non die lucernas inspicere, exina-

exinanitas oleo ellychnioque instruere; fungos & amurcam extergere, diebus feriatis aut prius mundare quam ad vineam egredi, aut citius domum ad concinnandas reuerti. Ac veritus ne hoc quisquam munus (quantò quidem in speciem vilius, tantò apud Deum honorificentius) inuideret sibi, Rectorem summis exorauit, eam sibi prouinciam diutius confirmaret, etiamsi per hiemem incommodissime ab eo administraretur, cuius nempe iam manus, digiti que nimio frigoris appulsu tumefacti atque ambusti, miserationem intuentibus commouebant. Et inerat carni eius tanta mollitudo, vt non aures modò, sed & vultus totius cutem Boreales ei auræ adusserint. Quo viso, Sacerdos aliquis ratus id voluntariâ aliquâ Ioannis asperitate procuratum, Nimiùm, inquit, mi frater, in te met asper ac durus es. Cui contrà Ioannes, Falleris, ait, mi Pater; sed vt ita esse faciamus, facti certè me non puderet, cùm inter Religiosos id genus afflictiones asperitatesque pudori esse non possint. Omnibus perpetuò & *Omnes demisse honorat.* loci & meliorum rerum decus honoremque deferebat; studebatque seu statu, seu sessu, seu incessu, decedere semper vnicuique, non minore obseruantix significatione, quàm si singuli maiores eo fuissent. quod scriptis hisce verbis expressit: *Geram me cum fratribus meis*

K *omni-*

omnibus, ut seruum decet & vile mancipium.

Hinc multis collegarum contubernaliū-
que subortus repente per ora rubor, cum coli
se honore tanto ab eo aspicerent, cuius obser-
uantiam non tam aulicā vrbānitate expref-
sam, quā Religioſæ demiffionis profectam
studio intelligebant. Ille verò etſi eſſet in om-
nibus honorandis prolixus, numquam tamen
per exceſſum effuſus, quemquam, præter Sa-
cerdotes, aut Patris aut Reuerentiæ titulo ap-
pellauit, ſed Fratris, aut Magiſtri, ſi discipli-
nas profiterentur. Abſtinebat verò huiusmo-
di laudationum officijs, quibus gratulari ami-
cis promiſcuè ſolemus aut examine feliciter
ſuperato, aut diſputatione ſubtiliter ſuſceptâ,
aut oratione facundè peroratâ, alijsque id ge-
nus formulis vrbānitatum. Si quidem aiebat,
vel omnibus ita gratulandum erit, vel ſolum-
modò quibusdam. Si omnibus, quis tum non
peccet frequenter adulatione? ſi tantum qui-
busdam, tum ceteri offendantur neceſſe eſt,
quaſi præteriti per factionem.

Omnes prior ſemper aperiendo capite ſa-
lutabat: quod tam procul omni ſimulatæ vr-
banitatis ſuſpicionem faciebat, vt ex vero bene-
uolentiæ modetiæque ſenſu prodire, omnes
ſentirent. Illud denique dicendum ſupereſt,
quā deditus fuerit pietati, quāque auidus
orationis. Ac quidem res omnis abſolui hoc
verbo

verbo possit, si ritè & in tempore facta à Ioanne fuisse omnia dixero quæ Religionis erant; sed distinctiùs aliquantò ad nonnulla descendendum est.

Ioannes igitur, quæcumq; ad Religionem spiritumque salutaria existimabat, siue visa abs se essent, seu audita, seu lecta, in maximis ducebat bonis: ratus, naturæ scientiarumque ornamenta in homine spiritum non habente, instar nudi gladij esse, in manu hominis furiosi; neque paulò putabat vtiliorem Religiosæ familiæ virum spiritu feruentem, etsi minùs à litteris ingenioque instructum.

De eius studio spiritalium rerum.

Ter quothebdomadis in tergum suum verberibus animaduvertebat, aut plurimum quater. Solemnioribus præterea Festis cilicio corpus exasperabat, sed rariùs, cum id ei ob inualetudinem esset interdictum.

Extra statam Societati Feriæ sextæ inediam, alterum perpetuò ieiunium honori beatæ Virginis, Sabbatinis omnibus diebus adhibebat: quo constat, nihil supra pœnarum asperitatumque modum ab eo fuisse susceptum.

In obuia quaque re corporis sui vexandi afflictandique anfas conquirebat, sedens flectensve nullo vmquam fulcro nitebatur.

Dimidiam quotidie horam piorum librorum lectioni tribuebat, ne momento quidem

Tempus legendis libris sacris

vespertini temporis illi lectioni constituti intermisso. Quòd deficerent eum latera ad trichlinij magnitudinem vocis suæ tenuitate explendam, ne legendi tamen onere eximeretur, vt in Nosocomio domestico super mensam conualescentium de altiore loco legere posset impetrauit. hoc nempe compendij se amplius facere ad lectionem piam dictabat.

Statim à fine Litaniarum, quæ in coetu publico ab omnibus recitantur, in cubiculum se recipiebat, siue secundæ mensæ accubisset, siue ministrasset, vt tantò plus spatij ad vacandum lectioni sacræ obtineret.

Hebdomadariæ relaxationis die, aureolum illum Thomæ Kempensis de Christi imitatione libellum in vineâ per horam voluebat; temporisque tantumdem quotidie eidem tribuebat maiorum vacationum ferijs, cum Scholastici nostri à lectionibus Frascatam animi laxandi causâ mittuntur. Quotiescumque cælesti se pabulo refecerat, vniuersum quod meridiem antecedit spatium, legendis SS. Patrum codicibus impendebat; neque vllum hoc esse studiorum dispendium, sed compendio compensari diuinitus, assererat. Tempus quod studijs negotijsque supererat, aut sacrorum librorum volutationi aut orando adhibebat.

Para-

Paratissimus erat, quoties rogabatur, pro quocumque orare, aliorumque se precibus inuicem solebat commendare. Tria verò præcipuè impetrari sibi deposcebat, insignem sanctitatem, excellentem eruditionem, firmas corporis vires. Primum quidem absolute; alterum ac tertium, si è maiore Dei gloria foret.

Præ ceteris, perpetua orandi iungendi que se Deo consuetudo, manabat illi iugiter velut è suauissimâ quadam scaturigine amoris ac voluntatis.

Affiduâ præsentia diuinæ dulcedine fruebatur, re nullâ prius factâ, quàm cum Deo pertractatâ. Hinc tanta operum ab eo susceptorum perfectio, ac splendor, quo oculos in se omnium conuertebat. Numquam peregrino orandi meditandique genere vsus: præscriptam à S. IGNATIO rationem affectu maximo imbibere conabatur accuratissimus scilicet monitorum omnium, legum præceptorumque obseruator, quæ tantus orandi Magister suo Exercitiorum libello docet; nec latum ab his vnguem digressus: probabatque mirè illam meditandi rationem Romæ excusam, quâ Romani nostri Tyrones vtuntur, quæ sibi vtique commodissima, proximaque Ignatianis exercitijs videbatur: & hac ille viâ tantam tam insignem orandi meditan-

randiſque præſtantiam eſt aſſecutus, vt omnibus ſe diceret mentis euagationibus in orando immunem; neque ſentire per id tempus aut aculeatos pulicum morſus, aut moleſtiam infidentium muſcarum. Numquam ſe prius lecto dabat, niſi perlecto prius diſpoſitòque craſtinæ meditationis argumento, quæ deinde prima erat manè euigilantis cogitatio. Vt verò intelligat quilibet, quàm accurato ſe ſtudio ad matutinæ orationis horam compararit (quæ nobis omnibus Societatis lege eſt conſtituta) operæ pretium viſum fuit ea omnia, quæ eò referebat, ad calcem Libri huius ſubiungere, atque iſtis eius verbis exprimere, quò gratius ſit lectori ſtudium, lectu ſanè digniſſimum.

Quid faceret conſurgens lectulo.

Dum communi viueret contubernio, quamprimùm lectulo eripuerat ſeſe, lignæ crucis icunculæ aduolutus, calidiſſimis idemdem ſuſpirijs eam exoſculabatur; interque veſtiendum, ardentioribus etiam peſtus inflammabat affectibus: ac bis fortè accidit, vt Ioannes falſus quiete ſui contubernalis, (quem exiſſe cubiculo crediderat) contentiore inciperet voce breues aliquas Scripturæ ſententiolas vibrare; cuius mox animaduersâ præſentiâ, virgineus ſcilicet pudor deprehenſum perfudit, coëgitque moderari voci. Aliàs quàm citò ſe in pedes erexerat,

geni-

genibus protinus curuatis, dimidiato horæ quadrante, tantâ spiritus dulcedine precabatur, ac si noctem totam orando extraxisset; mox solum terens osculis, mox animum suspirationibus erigens, mox alijs mentem accendens artibus. Subinde surgens è lectulo, Psalmodum versiculos, similesque preces ita suauiter modulabatur, vt nullam contubernali molestiam adferret.

Statam meditationi horam flexis perpetuò peragebat genibus, re nullâ nixus. Prius quàm orandi daretur signum, haud procul eo aberat loco, quo se erat in genua curuaturus, reliquoque commentationis tempore adeò quiescebat, vt ne minimo motu præsentia eius percipi posset, donec paulatim gliscente calore pectoris, locum erumpenti flammæ cum gemitu dare cogeretur; eiusque suspiria plerumque suauissima, subindè adeò erant vehementia, vt contubernali, ad alterius vsque meditationis horam fortè dormienti, expellerent somnum. Sæpè clanculum à sodalibus sub id tempus obseruatus, eo erat ardore vultus, vt non absimilis Seraphino videretur. Solebat imminente meditationis fine arctè admodum sæpiusque osculari imaginem illam MARIÆ infantulum gerentis parieti affixam; deciesque aut duodecies oscula repetebat continenter, magnâ oris

*Matutina
commentatio.*

arridentis hilaritate. Hancque iconem, Ioanne mortuo, cum Collega quidam, sacri instar spolij, vindicasset, etiamnum religiosè adornatam, pro sacris Reliquijs apud se magno pietatis sensu veneratur.

Audito finitæ meditationis signo, statim in pedes se erigebat, breuiterque expenso orationis peractæ cursu, accedens ad mensulam, notabat strictim & commentationis progressum, & proposita facienda, & faciendorum incitamenta: quæ constans diligentia tantum nobis saluberrimarum scriptionum thesaurum morti eius superstitem conseruauit.

*Lumina,
caelestia
consolationes.*

Iam verò illustrat' multa lumina, sublimisque mysteriorum sensus, abditasque caelestium rerum cognitiones oratio obtinebat.

Tam liquidis diuinarum consolationum voluptatibus pascebatur, vt planè quiuis intelligeret, diuini eum sinus foueri delicijs, & caelestibus Angelorum Reginae vberibus recreari. Enimuerò subinde eo habitu apparebat, vt Deo plenus esse non obscure videretur.

Et quidem octonis ante mortem mensibus, quodam Sabbatino die (is erat xv. Kal. Ian. anni M. DC. XXI.) tam ingens fuit perfundentis se diuinæ vbertas dulcedinis, consolationumque caelestium vis, vt eam nec dissimulare diutius (quin postridie mihi diceret) neque

neque præterire posset, quin litteris ita consignaret: *Die Sabbati, 18. Decembris, misit mihi Dominus fluium pacis.* vt mirandum non sit, tot Patres Fratresque, qui eum norant, in odorem diuinorum aromatum (quibus ille inter orandum perfundebatur) cucurrisse, lubentissimeque audiuisse tam suauiter narrantem, quanto cor eius Dominus cælestis torrente dulcedinis inundaret.

Sed ille tot diuinitus cumulatus delicijs, tot à Virgine beatissimâ recreatus voluptatibus, subinde, non exiguâ spiritus siccitate aridus, desolatus, omni que mentis consolatione ac luce nudus destituebatur. Non eâ re tamen aut demittebat animum, aut orandi, siue ad virtutem exercendi constantiam remittebat, sed perseuerabat infractus, mentemque sacris concitabat carminibus, feruentibus Deum interpellans clamoribus: *Redde mihi letitiam salutaris tui. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.* Et certè recordor aduertisse me sæpius, optimum Adolescentem assuefactum continuo diuinorum vberum pastu, lacteque, etiamsi acerbissimum haberet diuturnioris huiusmodi ariditatis desertionisque sensum, (vt summâ eius commiseratione commouerer, quoties suum illum statum dolenter mihi explicabat) in maximis tamen hisce siccitatibus summâ sem-

*Ariditas
spiritus, &
mæror.*

*Interna
animi pax.*

per potitum fuisse animi pace, ac tranquillitate, nullo unquam eius voto dissentiente, cum diuinæ voluntatis nutu. Sic enim dicebat: *In desolationibus magnam sensi quietem animi.* Dei prouidentia atque amore ego arbitratus sum euenisse, ut interuallis se Deus illi subduceret, redderetque, ne funditus infirmam debilemque eius constitutionem affiduitate corrumpere. Si ad exeundum ambulandumve inuitaretur nondum perfectâ meditatione, recusabat scilicet, caussatus per plateas non æquè ac domi fluere sibi ex sententiâ orationem.

Hoc illi tempus deliciosissimum erat, quod bis quotannis, triduanę animorum collectioni ante semestrem votorum instaurationem indulgetur, quodque solemniorum vacationum Autumnalibus ferijs, ad facienda spiritualia exercitia ab omnibus applicatur: dicereque consueuerat, per illos se dies locupletare oculos suos, ad emendum panem refectionis spiritualis, in venturas fortè necessitates.

*Vota sæpè
instaurat.*

Bis quotidie, semel manè, iterum vesperi, (quoties item ad sacram Synaxim ibat) mos illi, renouare Religionis vota, verbis formulæ solitæ repetitis.

*Religio &
amor erga
SS. Eucharistia
mysterium.*

Singulari amore iuxta ac reuerentiâ religionisque augustissimum Eucharistiæ mysterium

rium prosequeretur, ad quam quinquies, sexies, septiesve viseretur per diem, manè vesperaque, eundo & redeundo è Scholâ; egrediendo regrediendoque domum; tempore prioris mensæ, quoties secundæ accumberet; denique post binas quasque horas, quas studijs impenderat continenter, atque aliàs non rarò. Incredibili se diligentia ad sacram Synaxim præparabat. Rogatus à sodali suo, cur nollet villo vacationum die, quantumvis solemnè aut religioso, synaxim instituere; Quia, inquit, cum ambulandum mihi, aut in vineam eundum est, non eam possum animi quiete ac Religione frui, quàm par est tantæ Maiestati. Quare nec rogatus prodibat, cum ijs sibi sacris defungendum erat. Dicebat, quoties Angelico illo cibo reficeretur, experiri se nouum quoddam spiritus stabilimentum; cum verò per hebdomadam se abstinuisset, affici quadam fame, quam solo hoc epulo explere posset. Magno sanè suauissimæ huius escæ tenebatur desiderio: ac quoniam Scholasticis nostris eam vesci non licet, nisi Dominicis Festisque diebus; ipse, quoties præterea dies incidisset insigni aliquâ religione eximius, si domi nimirum esset, eius sumendæ copiam impetrabat. Frascare igitur ferijs maiorum vacationum, semel per hebdomadam, solito amplius ad Altaris mysteria ac-

ria ac-

ria accedebat, otio sibi ante meridiem indicto. Si fortè Festi alicuius anniuersarius dies in Dominicum incidisset, tum scilicet dolentis in morem, Hac, inquebat, hebdomade conuiuij vnus tanti iacturam facimus.

*Apparatus
ad sacram
Synaxim.*

Quot verò excitatis sanctioribus cogitationibus, quot fidei, charitatis, aliarumque virtutum repetitis actibus ad cælestem hanc mensam adiret, scripto quodam ad extremum librum adiuncto constabit, quo omnem suum apparatus, frequentatosque virtutum actus exponit.

*Aedes sacer-
cras obit.*

Quando Festis vacuisque diebus iubebatur exercitandi corporis gratiâ ambulare, vnum semper alterumque Templum destinato visitabat, inque his, ante omnia, augustissimam Eucharistiam tanto adorabat affectu animique ardore, vt surgentem subinde abeuntemque socium ne aduerteret quidem, donec ab ædis limine redux eum sui admoneret; ita sæpè à sensibus abductum, pendentemque ex Deo, vt neque videret, neque audiret omnino, dum proprio appellatus nomine ad societatem corporis animus quasi foras peregrinatus reuerteretur.

*Amor in
beatissimâ
Virgine.*

Haud dissimili amore (qualis filij esse erga matrem solet) in beatissimam Virginem rapiebatur, quam colebat religione tantâ, vt ad cultum

cultum eius propagandum in hanc lucem esse editus videretur. Id eò de se constare in vulgus lætabatur vt tantò liberiùs de eius passim laudibus, hoc nomine loqui posset, vtpote publicus Virginis præco. Extremâ vitæ suæ vesperâ, cuidam suo commilitoni id fortè interroganti respondit, præsentissimum potissimumque præsidium quo ad Religiosæ vitæ perfectionem adipiscendam erat adnissus, fuisse amorem religionemque aduersus Virginem sanctissimam, quam ingenti fiducia solebat Matrem suam appellare. Hæc sunt scribentis verba: *Patrona sanctitatis, sanitatis & studiorum, tu es mea mater Virgo Maria.* Relaxationis tempore, studebat de eâ inducere sermonem, historijs subinde in colloquium allatis. Dum recentiorum contubernio viueret, sæpiùs in Sacellum ei dedicatum ibat; nec priùs vmquam, nisi eâ in Sacello salutatâ, ad laxandum colloquijs animum accedebat, fructum ei nempe religiosæ recreationis oblaturus. Quod cum semel, à mensâ redux, omisisset, plurimum fortè colloquentium circulo inter adscendendum circumuentus; quamprimùm intermissæ salutationis in mentem venit, è circulo in Sacellum salutabundus abiit, statimque officio functus, eò vnde discesserat, reuertit. Videri possit cum eâ Deiparæ effigie fecisse

fecisse perinde, ac Bernardinus Senensis adolescens cum aliâ Virginis icone, quæ Senis etiamnum in quadam oppidi portâ religiose seruatur. Dicebat nimirum ille, si amauero MARIAM, securus sum salutis, perseverantiæque in arrepto Religionis statu; impetrabo quidquid libuerit à Domino, adeoque omnipotens ero. Neque aliud profectò in schedis Ioannis reperitur frequentius, quàm decreta quædam venerandi & amandi Virginem, eique seruiendi. Addebat, necessarium cuilibet esse, certum aliquem per fugij locum, quò velut in asylum se reciperet, subitis aduersisq̃ue rebus: nullum autem tutiorem esse sinu Plagisq̃ue sanctissimis Christi, & pallio Reginæ cælorum.

Rogatus igitur, quibus aduersus ariditates animi vteretur remediis; respondit: *Orare, occupare me; patientia, sinus & gremium beata Virginis.* Quotidie precariam coronam religione magnâ percurrebat, nunc genibus flexis, nunc stans, aliàs sedens, nonnumquam per aulam patentem obambulans, animo sic in res quas meditabatur defixo, vt à latere prætereuntes, à quibus salutabatur, non aduerteret.

Diuersa Virginis encomia è varijs collegat Scriptoribus, digesseratq̃ue meditationes duodecim in totidem eius virtutes: quarum

rum gratiã corollam pertexebat è tribus orationibus Dominicis, & Angelicis salutationibus duodenis, quam appellabat coronam duodecim stellarum, imponendam Parthenio vertici. Scripserat prætereà nonnulla, quibus opportunè distineri eorum animi possent, qui Virginem, repetitis Angeli salutationibus, honorarent. quæ omnia, cum alijs, extremo huic operi attextentur.

Novies quotidie dicere consueverat: *Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris filium*; memoriæ nouem mensium quibus Christum Virgo vtero gestarat inclusum.

Diebus Festis Domo egressus, ad septena, si poterat, dicata Virgini Tempia supplicabat, plurimisque per diem Religionis in eam officijs defungebatur; illo præ ceteris repetito sæpius proposito Virginis adamandæ. Tempus quo maximè in Deiparæ Matris cultu triumphabat, erat, longiusculum illud vacationum, cum Tusculum in vineam itur, quod ipse vniuersum Religioni suæ in Virginem explicandæ, explendæque, consecrasse videbatur. Pedes egressus vrbe, iam inde ab ipso portæ transitu cum sodalibus itinerantium preces persolvere; tum Deiparæ officium, quod nullo non die recitabat, percurrere, Litanias texere, deinde per viam de eâ apud

apud se cogitare, aut cum alijs loqui; historiis opportunè de eadem insertis, quibus rebus vnicè delectabatur. Tusculi verò, quoties aliorum in cœtu ambulatum prodibat, si quis Sacerdos aderat eruditione vsuque cælestium rerum clarior, (quales semper interesse aliquos aiebat decere, ad continentiam in officio iuuentutem) depresso Rosariorum, aliarumque Orationum numero, Psalmum aliquem è Mariano officio interpretandum illi proponebat; quo quæstionum genere, rerumque similium argumento, occasionem dabat scilicet extrahendi de MARIÆ sermonis. Tum sæpius quoque visebat ad D. Virginis, quam vocant de Grottâ Ferratâ, locum antiquâ Religione inclytum, siue ipsius Virginis causâ, siue Templi prodigiosissimè à sancto Nilo eò loci ædificati, siue in gratiam sacrorum Lipsanorum Nili Monachi Fundatoris, eiusque socij Bartholomæi, quæ in æde Farnesianâ condita, non minore cultu quàm frequentiam spectantur. Si fortè relaxationis tempore in aliquem Virginis amantiorem incidisset, mire hoc lusus certamine delectabatur, vter pluribus decentioribusque titulis Deiparam compellasset; ipse an alter. Ipse sanè pulcherrimos congerabat; ceterisque præ inopiâ silentibus, facundâ celeritate novos copiosissimè multiplicabat;

bat; vt hora priùs quàm copia eum defectura videretur.

Discebat primùm instar Mariani tyronis somnum capere, Rosario circum brachium conuoluto, in morem armillę militaris, quod extremâ vitâ suspensum gerebat è collo: tantoque de Virginis puritate loquebatur affectu, vt religionem amoremque audientibus aspiraret. Eius, vt iam dictum est, honori Sabbatinum ieiunium consecrabat, eius gratiâ ministeria culinæ obibat, aliamque aliquam corpori afflictionem inferebat. Sabbato natus, Sabbato in Societatem ingressus, Sabbato terræ mandatus est. Admiranda esse dicebat dona gratiæ beneficiaque per Virginem Societati impetrata; quorum abs se collectum numerum omnibus nostris exploratum esse optabat. Obstrinxerat se voti Sacramento, si quos aliquando libros esset editurus, primum ingenij sui partum fore de Immaculatâ conceptione: dicebatque se libri dispositionem iam animo concepisse, quam tenere decreuerat; adeoque huc omnia conferebat quæcumque huius argumenti apud antiquos Patres Scriptoresque alios legendo comperisset. Extremo vitæ anno concepta signataque veluti quadam auctoramenti formulâ, beatissimæ Virgini coram augustissimâ Eucharistiâ se in hæc verba obligauit:

L

ligauit:

ligavit: Ego Ioannes Berchmannus, indignissimus Societatis IESV filius, Tibi Filioque tuo, quem hîc præsentem in Eucharistiâ veneror, polliceor, me perpetuum fore assertorem vindicemque Immaculatæ conceptionis tuæ, nisi diuersè fuerit ab Ecclesiâ definitum.

Ioannes Berchmannus.

Cuius auctoramenti formula cum Illustrissimo Cardinali Bellarmino post Ioannis mortem fuisset indicata, protinus exclamavit: O rem egregiam, mireque adinuentam, sic fidem Virgini obstrinxisse, scripto etiam sacramento! Equidem credo id ei ab ipsâ Virgine instinctum, quæ filium illum suum voluerit à partibus suis stare. Excellentissimam de Immaculatâ conceptione habebat opinionem, neque humilius de eâ loquebatur, quàm sentiebat. Mensæ accubiturus, prius Angelicam salutationem immaculatæ Virgini repetebat quàm mantile explicaret.

Plurima denique id genus adferri possent de eius in Deiparam amore, religione, fideque singulari, cuius illud sanè non vulgare est argumentum. Consueuerat, quoties aut sibi aut alijs exorare aliquid apud Virginem statuisset, conceptis id verbis in schedio excipere, ad hunc ferè modum: Si beatissima Mater hoc mihi impetrauerit, tum ego tribus

IOANNIS BERCHMANNI. 163
bus eam cum labo Rosarijs, aut pares ei
alias preces fundam, aut corpus hac illave
muletabo poenâ; hasque syngraphas iconi
Virginis (cui supplex aduoluebatur) affige-
bat, nec rarò eius deprecatione, quæ petierat,
extorquebat. Scriptum ab eo reperi: *Num-
quam acquiescam, donec obtinuerò amorem te-
nerè erga dulcissimam meam matrem Mariam.*

Eadem in Deiparam pias animam eius Religio er-
ga alios
Calites.
inflammavit ad amandum venerandum-
que sanctissimam Matrem eius Annam, Vir-
ginisque Sponsam, ac Pueri Dei fidissimum
custodem Iosephum: cuius ille cum plurima
in clientes suos beneficia varijs è libris colle-
gisset, affirmabat quoque, nullâ se vnumquam
acceptâ repulsâ irritum petita benevolentia
discessisse, ex quo in eius se dederat cliente-
lam. Plures Cælitum alios adsciuerat sibi in
aduocationem, in primis Custodem Ange-
lum, Ioannem Euangelistam, & Ignatium
ac Xauerium, tum nondum auctoritate
Pontificiâ in album Indigetum relatos, bea-
tosque Aloysium & Stanislaum.

Horum singulis singulos per hebdoma-
dam dies consecrabat, quibus certa honori
cuiusque obsequia dedicabat, eorum com-
mendatione representans apud Deum actio-
nes omnes suas; quod ex scriptis illius intelli-
gitur.

Hos inter Patronos, teneriore quodam sensu atque amore complectebatur Aloysium Gonzagam, suum utpote Religionis vinculo fratrem, in quo fiduciam liberius collocabat. Numquam in Ædem sacram veniebat adoraturus SS. Eucharistiam, quin deinde ad B. Aloysij sacellum (in quo sacra eius Lipsana condita sunt) venerabundus adiret. Compendio contractam Vitam eius universam, adiunctis virtutibus prodigiisque ritè approbatis, circumferebat, eiusque honori multas afflictionculas & religionis actus dedicabat. Reperio in schedis, xxv. Maij anni M. DC. XXI. oblatas ab eo centum exercitationes humilitatis Deo, in Aloysij honorem; quodque illustrioris est generis, studio contendebat se eius reddere quam simillimum, vitæ virtutumque expressione. Et certè ea fuit plurimorum quæ sæcularium quæ Religiosorum opinio, fuisse eum imaginem quamdam B. Aloysij, eoque viso, alterum visum Aloysium existimasse. Quo die sacra huius Reliquiæ è Sacello Virginis in novum sacrumque illi Sacellum illatæ sunt xvii. Kalendar. Iulias anno M. DC. XX. dum in ordines tributi Patres Fratresque supplicantium more per Templum incederent, eaque in pompâ Ioanni fors obtigisset gestandi candelabri; Pater Iacobus Crucius Assistens Italiæ, in
aurem

IOANNIS BERCHMANNI. 165
aurem P. Theodoro Busco Assistenti Ger-
maniae hæc verba insufurrauit: Ille videtur
mihi alter quidam esse Aloysius. Nec iniuriã
ita iudicasse videbitur, æstimanti ea quæ huc
vsque dicta sunt, quæq; deinceps referentur.
Ibat felicissimus Adolescens de virtute in
virtutem, perfectionisq; indies magna ha-
bebat incrementa, Domino prouidente, qui
breuî illum è terris eripere destinarat. Nam
cum Superiore anno M. DC. XX. Ioannes po-
tissimum ad insignis cuiusdam demissionis
virtutem, suiq; perfectissimam cognitio-
nem incubuisset; iam vltimo vitæ suæ anno,
qui erat millesimus sexcentus vigesimus
primus, frontem chartæ cuiusdam, quam
rebus suis interioribus adnotandis aptauerat,
inscripsit his verbis: *Dixi, Nunc cœpi.* virtus-
que cui animum atque oculos adiecerat, cu-
ius etiam adeptionem singulari examine
persequebatur, fuit Charitas & Lætitia spiri-
tualis: paginæ eius omnes his verbis sunt re-
fertæ, *Charitas, Charitas; & Viuere in dies &*
in horas, quæ duo scilicet coniungebat, ex-
pertus, diuini amoris mercedem esse flam-
mam illam pectoris, quâ vitæ longioris obli-
tus, iam viuebat in horas ac dies, præstò sem-
per diuinæ voluntati, immensis tamen amo-
ris facibus adhelans ad boni illius infiniti
beatissimam possessionem.

P. Famiano
Seradâ.

Fortè per id tempus cum graui aliquo Patre egressus ad visendam Ædem cui nomen à Mariâ Maiore, per viam, dum redirent, ingressi in sermonem de animi tranquillitate, quâ Religiosi plerumque extremum obeunt diem, dum Pater plura adferens exempla eorum quos Romano in Collegio vitâ mortêque consentaneos placidissimè viderat demigrare, adderetque tandem illud, *Deum ora mi frater, vt moriatur anima mea morte Iustorum*; Ioannes repente conuerso ad eum vultu, modestè iuxtâ ac seriò, *Rectè quidem*, inquit, *mi Pater, sed primùm dicamus necesse est, Viat anima mea vitâ Iustorum; vt dicere deinde valeamus, Moriatur anima mea morte Iustorum*. Pater sibi verbâ replicari sentiens à Iuene modesto, diligentissimoque Maiorum obseruatore, non minore affectus est pœnitentiæ sensu, quàm veneratione sanctæ bonitatis, quâ videbat sapientissimum Adolescentem præsidio innocentis vitæ, conniti ad tranquillum beatæ mortis portum.

Vno ante supremum diem mense, inter relaxandum animum colloquens cum Patre quodam, haud obscure illi indicauit quanto afficeretur caducarum rerum tædio, præsentisq; vitæ fatietate. Affirmabat nempe, si Deo visum fuisset in alteram se vitam euocare, nullo se discedendi mœrore fuisse abiturum.

Aper-

Apertius aliquantò, paucis post diebus, agens cum quodam Collegij Professore, qui luteretur eius consuetudine utebatur, captus utilitate sermonum, vitæque eius probatissimæ exemplo; ei insinuabat, quàm incenso mortis desiderio, ad iungendum se arctius Deo, inflammari experiretur. Cumque inuicem ille interrogaret fidenter, an sic rationes omnes suas in Religione haberet comparatas, ut mortem non reformidaret; respondit ei in hunc modum Ioannes: Si meæ quidem optioni relinqueretur, eas mihi condiciones ferre quas ipse cuperem; eligerem primùm abdere me dies aliquot in piorum Exercitiorum quietem, quod etiam si non concederetur, attamen morerer perlubenter.

P. Hieronymo Sanguano.

Viuebat extremis hisce diebus instar hominis à sensibus abstracti, forisque peregrinantis, corpore quidem inter mortales, sed animo in cælum abducto. Atque ut Deus eum iam sibi vindicare decreuerat, ita blandè feruentibus cælestium amorum desideriorumque affectibus præparabat. Audisses non rarò suauia illa Sponsæ & Apostoli verba voce animoque usurpantem, *Cupio dissolui; & Amore langueo.* quod tamen omninò flagitare non audebat, ignarus an ex Dei id esset voluntate, maioreque gloriâ diuinæ Maiestatis, nec ne.

Placuit tandem clementissimo Numini tam sanctis annuere desiderijs, simulq; quid illi futurū breuī esset clariū indicare. Siquidem pridie Kalendas Augustas (qui Festus est S. IGNATIO Fundatori nostro dies) cū in Collegio Romano singulis sortitō tribueretur icuncula futuri per sequentem Augustum Præsidis sui tutelaris; exijt Ioanni fors, hūc Seruatoris apud Mariam verbis sub icone scripta: *Videte, vigilate, & orate, nescitis enim quando tempus sit.* Haud surdis auribus id monitum sagacissimus Iuuenis excepit certissimi instar indicij diuinitus sibi facti, de Dei se breuī euocaturi voluntate. Nec temperauit lætitiæ suæ, quin protinus aperiret suo Philosophiæ Professori, alijsq; nonnullis, quos certior mox confirmauit euentus, cū quinque post dies æger, octauo deinde est extinctus, vt deinde intelligetur. Indicandum hūc quasi per transfennam duxi, Ioannem tum fuisse natum annos XXII. de quibus vix integros quinque egerat in Societate. Iam vitæ telam ordienti, præcisa abruptaq; prius vita est, quàm ad stabilimentum peruenisset ætatis, iuueni propior quàm viro. Vixdum primas Religiosi tyronis lineas adumbrando, rudem aliquam communis vitæ obseruantiaque imaginem inchoauerat. Si verò telæ inceptæ specimen egregium adeo admirandumque

P. Frãncisco
Piccolomini.

IOANNIS BERCHMANNI. 169
dumque visum fuit; qualem futuram fuisse
merito augurabimur, quam ille exorsam sta-
mine, tramaque sua pertexere atque elabo-
rare potuisset? Si prima adumbratae figurae
lineamenta adeo arridebant; quam non spi-
rasset vitam, coloribus ab eo viuis absoluta
imago? Si oculos rapiebat rudis festinatae sta-
tuae formatio; quantum conciliaffet stuporis
simulacrum per longam artem perpolitum?
Tamen tam angustis temporum spatijs hoc
ille nobis opus tam perfecte elaboratum reli-
quit, ut habeat quilibet nostrum quod meri-
to ab eo se discere atque imitari fateatur,
Deum vero summis debeat laudibus cele-
brare.



L 5 PARS

PARS TERTIA.
DE
MORBO ET MORTE
IOANNIS.

IOANNES tam egregiè comparatus, plenus Deo, & in eum patè flagrantissimi amoris facibus liquefactus, suauissimo æstuans desiderio, cupiensque (si Deus annueret) expediri corporis vinculis, & exilio huius mortalitatis absolui, ad fruendum summo, supra quod ascendi non potest, votorum suorum bono; ipsis Nonis Augusti die sacro Virgini, cui à Niuibus repertum est nomen, alui profluuio tentari cœpit, exili tamen ad eò, vt neque adhiberet curam, neque permissâ vacationibus ambulatione abstineret; quamquam à comite rogatus digredi ad Mariæ Maioris, recusauit; ob ingentes populi mulierumque conuentus, quarum ille conspectum Religioso maximè defugiendum dicebat.

*Incipit &
groiars.*

*P. O. Fauitè
Loyenzini.*

In vineâ conspicatus Patrem quemdam
gnarum admodum rerum à Societatis ho-
minibus

minibus gestarum, ei se comitem à prandio adiunxit, multa per horæ spatium ab eo percunctatus de primis Ordinis nostri Patribus, alijsque Annalium rebus; mox dictis in commune Litanijs, reliquum diei piâ cum socijs confabulatione consumpsit. Die insequenti, cum nihil adhuc morbi sui indicasset, à studiorum Moderatore iussus disputandi causa ad Græcorum Collegium ire, in quo propositæ de Philosophiâ erant quæstiones, posthabitâ valetudinis curâ, obtemperavit. Hic primæ illi (qui postremas semper ambiebat) in disputando datæ sunt, loco Doctoris cuiusdam qui aberat contra conductum. Tantâ verò concinnitate, tantâ ingenij scientiæque probatione argumentabatur, ut plurimum eius dissertatione delectati, ob coniunctam cum insigni modestiâ gratiam, totam ferè disputanti concesserint horam. Et siue per illam se concitationem accenderit, siue itineris per æstivum diem longitudine se inflammavit, siue ipsa morbi semina incrementum sumperint, sequenti nocte febris ad priorem inualetudinem accessit; nullamque ei quietis partem reliquit. Explorabat se manè num febris remisisset; at sentiens ingrauescere amplius, viribusque se deficere, ratus teneri lege iudicij faciendi, cum horâ 19. proximè Rectoris cubiculum transiret, rogatus ab eo obprauum

P. Stephano del Bufalo.

Febri corripitur.

*In Valetu-
dinarium
concedit.*

*Lectulo de-
ponitur.*

*Admonet
periculi in-
uisentes.*

prauum vultus colorem, ecquì haberet, mor-
bum aperuit; iussusq; à Patre ad Valetudina-
rium se conferre, honore submissè, vt solebat,
habito, paruit; eumq; agrorum Curator le-
ctulo ad quiescendum imposuit. Tribus post
horis ad eum visendum iuit Rector, febrif-
que remissione animaduersâ, exutum de-
poni lectulo iussit. Sabbato igitur, horâ cir-
citer 22. & mediâ in lectulum concessit. Ro-
gante agrorum Administro, quid factò opus;
alacriter ille: In manibus Domini sumus,
quidquid illi placitum, prompti & facere &
pati. Superuenit id temporis Philosophiæ
Professor, & Ioannes solitâ oris vocisq; hi-
laritate memoriam illi versiculi illius refrica-
uit: *Videte, vigilate, & orate: nescitis enim quan-
do tempus sit*; sperans haud longè abesse tem-
pus. Noctem inquietam duxit. Dominico
manè Synaxi sacrâ, vt Valetudinarij est vsus,
reficitur; cælestemq; illum panem affectu
religio-neq; magnâ sumpsit, volens erepere
lectulo, & in solum se prouoluere; sed veritus,
nec nisi super lecto genua curuare permissus.
A sumptâ Eucharistiâ, in aduentum Medici
conquieuit. Medicus subleuatum censuit. Ille
solitâ tranquillitate, alacriter diem reliquum
cum alloquentibus pio sermone triuit.

Quoniam verò per eos dies, cauendo
contagionis periculo, admoniti erant qui
agros

ægros viserent, interuallo ab ijs iusto abesse; Ioannes vtrò eius cautionis aduentantes monebat, ne nimum sibi propinquarent.

Vesperis crescere denuò morbus cœpit; totaque nocte adeò Iuuenem fatigauit, vt quietis nihil caperet. Die Lunæ proximo Medicus

Morbus ingrauescit.

ei medicinam adhibuit; quam ille impigrè hausit, conuersusque ad Sacerdotem adstantem ciuem suum, precatus eum est, vt vulgarem benè precandi formulam, à prandio cœnaque dici consuetam, recitaret: reliquum deinde diem per summam inquietem egit; horaque certâ de integro noua febris inuasit.

Sub noctem quæsiuit ab ægrorum Curatore, an, quia sequens dies S. Laurentio festus erat, non esset Angelico se pane recreaturus.

Cui cum respondisset Curator, ægris deferri Eucharistiam extra Dominicos dies non so-

lere, curaturum tamen si ipse cuperet; Non, inquit, mi frater, ne quælo te commoueat quid ego expetam, sed faciamus quod solent

Valetudinarij moribus paret.

ceteri, & Synaxi abstinuit. Animaduertit Ioannes, è morbo suo grauem cubiculo conciliari odorem; & vt naturâ erat munditiei nitorisque amans, ac seruans decori, rogauit administrum, vti vel incommodo suo prouideret, ne quid fastidij caperent qui tantâ ad se charitate visebant. Huc vsque morbus (Medici iudicio) periculo caruit; etiamsi pulmonum

monum aliqua subesse inflammatio videtur; sed eâ nocte vires illum destituere, & festo S. Laurentij die adeò iacuit debilitatus, ut singulis horæ quadrantibus fuerit refocillandus. Ille nihilo fractior animo, visitantes non minore tranquillitate accipiebat, quàm si morbo nullo teneretur. Die Martis sub noctem Rector, periculi admonitus, postquam omnes valetudinario excessissent, Ioannem compellens rogabat, an, si Domino placeret in cælum eum euocare, aliquid molestiæ moraretur; Non, aiebat, mi Pater, nisi fortè metus aliquis defecturæ charitatis inter Flandro-Belgicam Prouinciam & Romanam, quando Belgij Patres, me socioque meo mortuis, in posterum fortè verebuntur huc Belgas mittere, desinetque paulatim vigere illa tam propria Societati communicatio. Ceterum, si Deo gratum fuerit me mori, scit ille quid faciat. Quanti autem mea interest, ego omnem Dei nutum paratissimus expecto: sed si mihi foret optio, migrare longè malim, quàm remanere. Gaudius hac Ioannis responsione Rector, gratulabatur illi quidem tam promptâ migrandi voluntate, sed quo ad se res illa tangeret, optasset tam insigni virtutum exemplo Collegium suum non orbari: & quia valetudini eius metuebat, ægrorum Curatorem eiusve socium noctem peruigilare

Metus exitus Ioannis.

Rector valetudini Ioannis metuens.

lare iussit. Sub quartam ergo noctis horam, cum capere somnum non posset, Ioannes de Deo differere instituit. Valetudinarij curator pulsu venarum explorato, cum vix micare deprehendisset, ad Ioannem, Nihilne, inquit, tibi Pater Rector iniunxit? nam è re mihi facturus videris, si cras manè sacro te Eucharistię pabulo recreaueris. An vt Viatico? excipit Ioannes: Vt viatico, ait alter; nam parum affulgere spei video. His auditis, Ioannes tamquam iucundissimis acceptis nuntijs recreatus, Curatoris se collo circumplicat, stringitque complexu, significans quanto animi gaudio perfunderetur. Contrà commotus Administrator, in tantam se demisit tristitiam, vt erumpētibus idemtidem singultibus, vocem in verba formare non posset. Ioannes verò animum illi erigebat solando, hortandoque, non patienter modò, sed alacriter ferret: & Quin, inquit, læti nos comparamus; certè iucundiozem nuntium, maioremque lætitiã numquam mihi poteras attulisse. Tum Christi crucifixi simulachrum petitem vbi manibus tenuit, sic affari cœpit: Domine, tu scis, te esse vnicum vniuersumque bonum meum quod in hac vitã possedi, possideoque adhuc; sed, ô Domine Iesu, ne me nunc desere. His similibusque cum Deo colloquijs, ardentibus sanè, tempus extraxit, quibus audiendis

*Aegrorum
Curator de
Viatico eũ
admonet.*

*Lætitiã
Ioannis au-
dito mortis
nuntio.*

*Colloquũ
cum Chri-
sto.*

diendis Valetudinarius in lacrymas scilicet amplius liquecebat, sed sumptâ tandem fiducia, flagitans, uti Deum pro se in cælo oraret, extorsit promissum. Admonitus Ioannes tanto illo affectuum impetu vires fortè nimium fatigatum iri, rogatusque ut ijs aliquantum temperaret, At intelligas velim, mi frater, inquit, animum mihi colloquijs istis admodum refici ac subleuari. Moxque ei scribere iusso, hæc verba dictavit:

*Schedium
à Ioanne
dictatum.*

Veniam oro dulcissimum Patrem meum Generalem, doleoque extitisse me tam indignum Societate filium. Gratias insuper habeo dulcissimæ matri meæ Societati Iesu, ob maxima mihi indignissimo collata beneficia. Gratias ago P. Rectori, Præceptoribus meis P. Francisco Piccolomini, P. Tarquinio Galluzzi, P. Horatio Graffi, pro impenso in me tot laborum officio. Gratias do Patri Ministro Fratribusque valetudinis meæ curatoribus, pro insigni eorum erga me benevolentia. Gratias reddo omnibus qui exigui huius morbi tempore me inuiserunt. Velim calcitam humi sterni, dum sacrâ Synaxi reficiar: actum frequentes optem adesse Fratres meos recentiores collegas. Oro P. Rectorem, ut, cum ego nec cominus nec eminus quemquam complecti possim, vices meas imponat alteri, qui pro me Patres Fratresque meos
charif-

charissimos de more Societatis complectatur. Velim liceat mihi mori induto veste Societatis. Hoc schedium Rectori in manus dari rogauit; eoque perscripto, ad intermissos pietatis affectus redijt. Sextâ noctis horâ, Mercurij die imminente, Rectorem ad se vocari flagitauit. Is quàm mox adfuit; reperitque Ioannem animo in Deum defixo, accinctum itineri illi magno in cœlum. Diu cum illo Ioannes de rebus animi sui collocutus, exomologesim ei facere instituit: quæsitæque Rectoris sententiâ, an è re esset, vitæ, quam in Societate degerat, vniuersæ factâ narratione se expiare; cum non esse intellexisset, acquieuit. Ita nempe Rector iudicabat, cui exploratissima erat illius vitæ innocentia, quam Angelicâ puritate, seuerissimâ legum omnium obseruantia, vigilantissimâ sui custodiâ, perfectissimam planè consummarat.

Dum simul colloquuntur, ingressus Valentinarius, dictatum mox schedium Rectori dat; quo lecto, annuit petitis, concessitque fieri quæcumque ex eius forent consolatione. Utque recentiores collegæ frequentes adessent, dum salutis Viatico Ioannes instrueretur, negotium cuidam dedit admonendi, quàm primùm è somno excitarentur, in Templum frequentes conuenirent, comitanda sanctissimæ Eucharistiæ. Ioannes interea

M rerum

rerum omnium faciendarum prouidus, curatorem suum rogauit, ut pedes sibi ablueret, admittendæ simul salutari vnctioni, quod mysterij huius religione fieri flagitabat. Octauâ noctis horâ, audito vigiliæ signo, obierunt cubicula circitores qui e somno excitarent, iuberentque frequentes adesse Ioanni Viaticum iam iam accepturo. Visum omnibus, accepto tam inexpectato nuntio, non vocem audire auribus, sed telum infigi pectoribus, vnoque ferè ore conclamarunt, Heu quantam facimus iacturam! ô qualem quam sanctum amittimus fratrem! Utque in tempore adessent, Synaxim vltimam obituro, pro se quisque maximè accelerabat. Adiunxit se lateri Ioannis P. Cornelius à Lapide, sciscitatum quâ culpæ religione teneretur, quæ anxium eius animum haberet: magnâ ille mentis tranquillitate respondit, nullius omnino se conscientia fide commoueri. Strata in solo culcita fuit, tunicaque talaris dorso eius, ut cupiuerat, circumiecta. Accurrebant interea in valetudinarium quotquot adesse tempori potuère; qui viso Angelo illo in culcitâposito super pauimento, auditisque feruentissimis eius vocibus, quibus nunc I E S V M nunc M A R I A M appellabat, lacrymis præ animi teneritate non temperabant. Mediâ post octauam horâ Collegij Rector, multorum coronâ

*Communis
mæror su-
per morte
Ioannis.*

coronâ cinctus , frequentibus Contubernij
 scholasticis , intulit in Ioannis cubiculum
 cæleste illud Eucharistiæ pignus. Tum ille,
 adstantium duorum auxilio in genua alleua-
 tus , confessionis solitæ præmissâ formulâ,
 dum sacram Hostiam Sacerdos digitis tenet,
 improuiso, sed magno amoris spiritu , in hæc
 verba prorupit: *Protestor hîc esse verum Filium*
Dei Patris omnipotentis, & beatissimæ semper
Virginis. Protestor me velle viuere & mori ve-
rum filium sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ
Apostolicæ Romanæ. Protestor me velle viuere
verum filium beatæ Mariæ Virginis. Protestor
me velle viuere & mori verum filium Societa-
tis. Quibus tam inopinatis vocibus, tantâ af-
 fectus religionisq̃ue significatione prolatis,
 permoti circumstantes , cùm deinde audi-
 rent hæc ei verba à Sacerdote reddi: *Accipe,*
frater, viaticum Corporis Domini nostri Iesu
Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, & per-
ducat in vitam æternam; perinde atque iam
 conclamatum fuisset, præcisaq̃ue in poste-
 rum spes omnis vtendi suauissimâ illius fa-
 miliaritate, tam abruptus sese omnium plan-
 ctus in lamenta effudit, vt nisi qui præsentés
 audierint , difficilè sint credituri. Ioannes
 pignore illo æternæ gloriæ accepto, submisso
 parumper capite, brachijsq̃ue ante pectus in
 crucem decussatis, totus intereâ abripiabatur

animo, ad diuinum illum hospitem omnibus
 flagrantissimæ charitatis officijs demeren-
 dum, à quo inuicem ipse cælesti erat hospitio
 accipiendus. Mox in lectulum reclinatus, sa-
 cro se Oleo lini in extremi agonis luctam
 postulauit; vngique, præsentem se, iussit Ger-
 manicæ Assistens, qui recens in Collegium
 venerat. Refertum erat cubiculum domesti-
 cis qui adesse voluerant: iterumque vbi re-
 citare consuetas preces Rector instituit, tanta
 omnium erupit comploratio, vt Rectorem
 quoque commoueret, nec nisi semifractis
 truncatisque vocibus peragere posset; contra
 ille qui plorabatur, placidissimâ quiete animi
 ac tranquillitate, iunctis manibus, oculis in
 cælum fixis, animo in Mysterij præsentis co-
 gitationem reuerentiamque abducto, Sacer-
 doti vtrò respondebat, contentâ voce, ac fe-
 rè solus, cum ceterorum vocem lacrymæ ge-
 mitusque impedirent. Iam salutari Oleo de-
 libutus, sui coram præsentibus accusandi de
 admisis per vitam noxis, formulâ nobis vi-
 tatâ, facultatem à Rectore impetrauit. Roga-
 tus in morbo, numquid solandi sui causâ
 fieri dicere vellet; Rectori in aurem, Si, inquit,
 Reuerentiæ vestræ videtur, significare Patri-
 bus Fratribusque præsentibus, non aliam ma-
 iorem me hoc tempore percipere consola-
 tionem, quam illam conscientie meæ, nul-
 lum

*P. Theodo-
 rus BU-
 ZANS.*

IOANNIS BERCHMANNI. 181
lum voluntate meâ (ex quo in Societate vi-
uo) admissum à me esse (quod equidem
sciam) veniale peccatum; nullam deliberatò
Religionis nostræ Regulam violatam; nul-
lum Superiorum meorum ordinem præteri-
tum; id omne vestri facio arbitrij. Magnâ id
animi demissione indifferentiaque propo-
suit, pro eo quo ferebatur studio in exactam
legum nostrarum obseruationem, quam
optabat omnibus cordi esse. Rector id fore
è publicâ vtilitate ratus, circumstantibus eius
rei indicium fecit. Quâ auditâ, omnes, hoc
ampliùs tam innocentis fratris sodalisque
iacturam deplorare. Nam certius iam crede-
bant, illius desperatam debere esse sanitatem,
quem numquam alioqui, nisi certum secu-
rumque moriendi, sic fuisse de rebus suis lo-
cuturum sciebant. Deinde cum amplecti
vniuersos cuperet, Rector veritus ne nimium
se fatigaret, cum omnium se nomine eum
esse complexurum dixisset, eorum tamen
qui præsentibus intra cubiculum aderant, am-
plectendorum copiam fecit. Cum horum
nonnullis sani valentisque instar collocutus,
deferendas in cælum eorum supplicationes
ac mandata (quasi breuè eò profecturus) re-
cipiebat; alijs ipse varia salutis virtutumque
præcepta ingenuâ simplicitate commenda-
bat. Supererat Mathematices Professor,

*P. Horatius
Grassi.*

M 3 cuius

cuius postremi collum Ioannes amplectens, Hac nocte, inquit, mi Pater, in mentem mihi venit tantæ tam proluxæ charitatis vestræ in me; argumento sit, schedium à me dictatum. Gratias habeo pro omni (quam docendo me suscepisti) molestiâ ac labore. Professor lacrymans & in genua abruptim prouolutus, veniam à Ioanne petijt, quòd non eâ quâ par erat charitate affectuque eum esset persecutus; neque exemplo eius, in quantam debeuerat, perfectionem fuisset prouocatus, contenditque, vti cum in cælo degeret, orandi sibi eximiam impetraret facultatem. Ioannes ut erat egregiè demissus, ægerrimè scilicet patiebatur, Sacerdotem, eumque Præceptorem, iacere sibi aduolutum, anxiaque sollicitudine, ut se erigeret, obtestatus, facturum apud Deum quod petebat, pollicebatur. Interea Sacris operatum abiuerat Rector, & Ioannes vultu ad P. Franciscum Piccolominum præsentem verso, *Pater Rector*, inquit, *luctatur pro me, ut Iacob*. Id quod breuè, non abs re dictum fuisse, constitit: nam redux à Sacro Rector, rei que iam dictæ inscius, cum Ioanni diceret, Conquestus nonnihil cum Domino sum, mi frater Ioannes, quòd immature ad eò videatur te velle nobis eripere; Ioannes subridens, deiectis modestè oculis responsi nihil reddidit. Eodem illo die semel & iterum

rùm eidem Patri hæc verba repetiuit: *Oppugnat me Pater Rector, sed non vincet. Vereor ne Pater Rector opponat se voluntati diuina.* Quæ verba à plerisque ad Rectorem relata, conuenire cum re ipsâ compertum est: cum ille sæpius eo die flagranter à Deo vitam sanitatemque Ioanni esset deprecatus, sed quâ id viâ humanitus Ioannes intellexerit, hucusque non potuit explorari. Præter ordinarium Domus Medicum, hoc die aduocatus est Doctor Angelus Boynarea: qui, visâ insigni Ioannis indifferentiâ, tantaque animi mortem expectantis hilaritate, tranquillitateque, ad pietatem commotus, cum lacrymis iam digrediens, exclamabat: Hic alter quidam est Aloysius. O beatos vos, qui tam alacriter ad mortem estis comparati! Paucorum est hæc non vulgaris felicitas.

Hoc illum die P. Generalis inuisit: cuius se præsentiam prius quàm moreretur desiderare dicebat; cum ad faustam eius imprecationem obtinendam, tum ad gratias referendas curæ in se paternæ, petendamque veniam offensarum. Pater Generalis nihil ignoscendum extitisse dictitans, aspersum, signatumque lustrali aquâ, bono esse animo iussit. Cubiculum eius toto hoc die Patrum Fratrumque plurimi assidue compleuerunt; quos ille solitâ suâ affabilitate vniuersos accepit. Quod

*Visitur à
R. P. Gene-
rali.*

verò sentiret, quæcumque Medicorum arbitrio iuberentur, ea refocillandis instaurandisque viribus suis adhiberi medicamenta atque aromata, cuiuscumque pretij forent, religioni ducere coepit id sibi abundè superque esse, & Patri cuidam, *Mens hic*, inquit, *morbis pretiosus est*. quo respondente, eam esse Societatis solitam charitatem, protinus acquieuit. Vespere diei Mercurij pluribus eius iuuandi studio contendentibus, mandauit Rector, vt nonnullis vigilantibus, alij somnum peterent.

P. Ioanni
Gouda.

Morbis corpori quidem, sed non animo Ioannis quietem adimebat; quippe mens eius altam cum Deo colens pacem, ardentem idemdem preces in cælum iaculabatur. Rogatus ergo subinde, quid gemitu tanto suspiraret; Gratias, inquit, Deo ago pro beneficio vocationis. Sacerdos quidam quarebat, an legi sibi aliquid iuberet; Caput, inquit ille, ex Aloysij historiâ, de eius morte. Cùm in lectionis cursu huc ventum esset, vbi narratur, nullum ab Aloysio per longinquitatem morbi, impatientis animi signum datum esse: ille ad Christum cruci affixum versus, Domine, inquit, si (quod non memini) impatientiâ fortè peccaui, ignosce. Audito deinde, quòd accepto mortis nuntio, Hymnum *Te Deum laudamus* recitasset, conatus imitari, rogauit adstan-

adstantes, sese vt iuuarent; adiutusque recitauit. Valetudinarius explorando venæ motu cum propius accessisset, quæsiuit Ioannes, ecquî valere sibi videretur. Ad terminum, inquit, appropinquamus. Tum ille, qui permiserat eo vsque Sacerdotum assistentium officio subinde se, vel ad mouendum corpusculum adiuuari, vel medicinam, vel aquam, refrigerando palato præberi, eos admonuit, sui deinceps mouendi officio abstinere, ne, vt ipse pie interpretabatur, irregularitate se aliquâ imprudentes obstringerent, maturando sibi mortem per obsequia. Mox Crucis sigillum dari sibi poposcit: quod allatum, Rosario è collo detracto, religiose redimiuit, (sic namque dormire solitum, suspensâ è ceruicibus coronâ, suprâ scripsimus.) Tum Regularum nostrarum petito libro, cum forte vnus aliquis adferretur, à quo abesse Scholasticorum leges, percurrendo folia, obseruasset; alterum dari sibi flagitauit, quo leges illæ quoque continerentur. Hunc allatum, Cruci Rosarioque applicuit; ac tria hæc instar pretiosi fasciculi simul manu complexus, insolentia verborum hilaritate dignissimam conscientiam suam vocem emisit: *Hæc sunt tria mihi charissima, cum his lubenter moriar.* osculatusque, pectori imponebat. Insuper rogabat adferri icunculas Cælitum omnium quas varijs

mensibus fortitus seruauerat, agglutinatas libello cuidam è chartâ virgine, è quibus subinde gnomas breuiculas prælegi sibi cupiebat. Psalmos prætereà Graduales, quibus delectari videbatur, nonnumquam recitari curabat, reliquumque noctis quietè utcumque duxit. Proximè surgendi horam, Valetudinarij curatorem compellans, Pater Rector, inquit, contendit pro viribus, ut me, beneficio Prouinciæ meæ seruatum, à Domino exoret; sed credo irritum precis suæ fore. Paulò post Rector ipse adfuit, iussitque Ioannem suam à Deo (si è maiore eius esset gloriâ) salutem flagitare. Iterùm reuersus, Mi frater Ioannes, inquit, inter recitandum sacras Officij canonici Preces, aduerterunt mihi ànimum illa cuiusdam Responsorij verba, quæ quadrare in te videntur: *Puer meus, noli timere, quia ego tecum sum, dicit Dominus. Si transieris per ignem, flamma non nocebit tibi, & odor ignis non erit in te. Liberabo te de manu pessimorum, & eruam te de manu fortium.* auguror probatum in te iri vaticinij veritatem. Tum ille, Ita spero, respondit; sed meritis beatissimæ Virginis: eademque secum verba reputando sæpius repetebat; ac solus cùm esset, aut à paucis circumfessus, suauissimis affectionum piarum iaculis cælum petebat, præcipuè verò Deiparam hisce similibusve sententijs alloqueba-

quebatur: *Ne me deseras Maria, ne me fallas; filius enim tuus sum, tu scis, quia iuravi.*

P. Ioannes di Lugo S. Theologiæ Professor, cum fortè negotium quoddam Deo admodum honorificum præ manibus haberet, id Ioanni commendatum venit; adeò precibus eius fidebat.

Die Iouis manè rumore vulgatum erat, *Visitantiū concursus* Ioannem de morte suâ clariùs edixisse: hinc magni, quâ nostrorum quâ externorum, in Collegium concursus, se suaque precibus illius commendantium. Etiam si enim paucis, ob exiguam rerum tractationem, huc vsque notus esset, inclaruerat tamen opinione singularis modestiæ innocentiaque, quâ passim sanctus audiebat. Hos inter fuit Illustrissimus Angelus Cæsi, filius Ducis d'Acqua-sparta, qui Ioannis virtutem adeò semper suspexit, ut non rarò in Collegij hortum venerit, eius obseruandi causâ, dum colloquij horâ cum alijs animum relaxaret: simulque illo se spectaculo recreandi, quo omnes, vnico campanæ signo audito, sermonibus intermissis, silentio summo, ad suas quisque occupationes, in cubicula reuertuntur. Iam nempe id maximo illi quoque solatio erat, eum videre in illo mortis procinctu tantâ animi tranquillitate, tantâ alacritate vultûs iacentem, ac si æger non fuisset; audire tam placidè loquentem

tem

Opinio Illustriissimi Angeli Casi de virtute Ioannis.

tem de morte, deque secuturâ vitâ. Cuius orationibus cum salutem suam commendasset, inde digressus, affirmabat, visum sibi Angelum in eo lecto vidisse iacentem, in quo tam placidè quiescebat, tam expedite loquebatur, ut nec morbi, nedum mortis, sensum ullum habere videretur.

Iuuenem quemdam nominans (qui bi-duo post in Tyrocinium Societatis erat ingressurus) Hic (aiebat magnâ vultus animique hilaritate) meum in locum est successurus. Domino Hieronymo Martelli promisit se memorem eius in cælo fore. Inclinante iam die, rediêre Medici, viribusq; defectum reperere. Quibus cum gratias humaniter habuisset, vni eorum, *Eamus*, inquit, *mi Domine, eamus*. Et quomodo rogat ille: *In cælum*, ait Ioannes. Roganti Medico, ut sui in cælo esset memor, promisit facturum lubenter. In discessu, Filander Medicus, Non est, ait, tanta morbi huius grauitas, quæ Iuuenem adeò debilitare possit; sed illud necessariò cum Hippocrate dicendum nobis est, *Hic moritur diuinitus*, aduersus quam vim omnis nostra impar est medicina.

Iudicium Doctoris Filandri de morbo Ioannis.

Iam ager tot visitationibus fatigatus, viribusque defectus, sibi ut relinqueretur, à Superioribus mandatum erat: at Ioannes, visâ Patrum Fratrumque præforibus turbâ, facultatem

cultatem petijt, singulos seorsim admittendi, non ignarus (vt euenit) extremum id alloquium fore. Post alium alius, singuli introiēre, supremum salutaturi, amplexurique. Nonnulli pro sua in eum veneratione, quam ille ægerrimè patiebatur, nec nisi cum dolore ferebat, de genibus loquebantur, vnusquisque cum lacrymis aut se suaque commendantes, aut salubre monitum aliquod poscentes. Ioannes corpore debilis, sed firmus animo, beneuolè audiebat omnes, pollicitus se omnium postulata curaturum; tribus ferè rebus ab eo apud singulos commendatis; nimirum, beatissimæ Virginis religioso cultu; constanti orationis studio, quod vnicum cum Deo se iungendi præsidium dictitabat; denique accuratâ Regularum nostrarum obseruatione. Alijs priuata quædam præcepta tradebat ad internum cuiusque habitum proprie spectantia; quæ tam accommodata plerisque præscribebat, vt obstupescerent, quomodo perspecta illi essent alienæ mentis arcana, quæ soli Deo putabant esse posse explorata; ac plerique eorum & Rectori & Præfecto spiritualium rerum affirmarunt, magno sibi vsui ea documenta fuisse. Magistro suo pollicitus est, impetraturum se commilitonibus suis omnibus affectum erga Virginem Matrem. Patrem quemdam controuersijs scriben-

*Mortuus
tria plerisque
commendat.*

*Priuata
quibusdam
dat docu-
menta.*

*P. Andream
Eudem.*

*P. Iosephū
Coppioni.*

scribendis districtum, orabat ut stylum verteret in Calvinum. Concionatorem vnum adhortatus est (quam diu per Ecclesiæ auctoritatem liceret) immaculatam Virginis Conceptionem constanter è suggestu tueretur. Germano cuidam Sacerdoti auctor erat, probaret se non degenerem Societatis filium in propugnandâ Ecclesiâ Romanâ aduersus hæreses inter Septemtrionales.

P. Alexandro Rocca.

*P. Ioannem
Baptistam
Ferrari.*

Alterum quemdam instigabat ad celebrandos Cælites Ordinis nostri, stylo nempe suo, ut ipse intelligebat: nec aliter alios, diuersis ferè modis singulos aptè adhortabatur, quorum cum longissima sit series, non satis etiam de monitis reliquorum liquet. Sed illud hoc in genere animaduersum fuit, Ioannem insigniter alioqui demissum, modestiâ verecundiâque eximium, qui non Maiores modò, sed infimos quosque reuerebatur; neque aliàs facile cuiquam (nisi intimâ sibi familiaritate coniuncto) documenta vlla tradidisset, hac vesperâ, tantâ libertate locutum, tamquam fuisset potestatem habens. Et certè ea erat tum loquentis grauitas ac maiestas, ut quiuis facile intelligeret, non tam illum quàm Deum eius verbis loqui.

*Nicolaus
Raskai.*

Aderat omnium postremus adolescens quidam patriâ Hungarus, Ioanni in studiis æqualis, qui singulari religione eum semper obser-

obseruaret, amabatque affectu tanto, ob
 egregiam quam de eo habebat sanctitatis
 opinionem, ut res cum illo intimas animi sui
 communicaret, ei que non secus morigera-
 retur ac Patri suo spirituali. Hunc Ioannes
 ob insignem illam fiduciam cum strenue ad
 virtutem promouisset, extremum esse ad-
 uentantium iussit, quod per otium liberalius
 ei loqueretur. Digressis omnibus solum ad-
 misit, complexumque ita compellauit: *Iam
 hoc ultimum, mi frater, valere te iubeo, neque
 ultra te alloquar in hac vita. Scis, quam te in
 terris amauero; pergam porro adamare in caelis.*

Quibus verbis ille ad lacrymandum com-
 motus, & in genua prouolutus, Quando er-
 go nos deseris, inquit, fac sis, mihi impetres à
 beatissimâ Matre ea auxilia, quibus egere ad
 salutem perfectionemque me nosti; specia-
 tim verò, ut genuinum Societati me filium
 approbem, ipsaque ut talem me agnoscat.
 Ioannes paterno velut affectu, Lubenter, mi
 frater, respondit, eas quas petis res tibi pro-
 curabo, atque amplius etiam spiritum ora-
 tionis & mortificationis. Tum alter, Dic er-
 go, amabò te, seriò ac sine ioco, credisne cra-
 stino te esse moriturum? Crastino, inquit

*Aperit
 mortis suae
 tempus
 praesignat.*

Ioannes, manè. Poterone, rogat alter, praesens interesse? Fac intersis, respondit ille. Denique de genibus hoc ultimum obtestatus,
 Quan-

Quando ergo me relinquis, ait, mi frater Ioannes, supremam mihi quæso apprecationem impertire, manu in Crucem ductâ. Hic Ioannes abnuere, alter precari atque instare per amorem illum perpetuum, per fiduciam tantam, quâ arctè adeò fuerant colligati, ne tristem se dimitteret, irritumque petitionis supremæ. Victus ergo precibus Ioannes, sublata manu, ridente vultu, affectu quodam teneriore, bis illum Cruce ductâ signavit; subrectumque in pedes (cùm gratias ei egisset pro commodatis per morbum reliquijs Indigetum nostrorum) rogavit easdem sibi ad mortem vsque relinqueret; quod promisit, hilarisque discessit.

*Sacerdotes
multi geni-
bus flexis
benedictio-
nem eius
flagitant.*

*Armatus
est aduer-
sus tenta-
tionum as-
sultus.*

Collegij Rector viso illo tanto tam insolito concursu, non Fratrum modò nostrorum sed & Sacerdotum, in genua se abijcientium, petentiumque ab eo cruce signari; subueritus ne malus dæmon gloriolæ alicuius inanitate inflatiores ei forte spiritus faceret, egredi cubiculo iussis qui aderant, Ioannem sic admonuit: Mi frater, duplici potissimum tentationum genere salutem tuam petere dæmon hoc tempore posset; fidei nimirum, & inanis gloriæ agitatione. Mactè ergo animo, aduersus vtrumque armatus fortiter decerta. Tum Ioannes: Deum veneror, mi Pater, equidem aduersus fidei oppugnationes
fatis

fatis mihi armatus videor; contra vanæ gloriæ assultus, si qui euenerint, iam iam egregiè me communiuit spiritualium rerum Præfectus.

Solebat, dum valeret, intecto dormire capite, nullo nocturni pileoli vsu. Valetudinarius sollicitus ne id ægro noxium esset, pileolum ei induxit, adiiciens, melius ægro esse si tegeter caput. Ille tum quidem tacuit; at mox absente Valetudinario, Patrem quemdam interrogauit, facerétne contra leges, in lecto iacendo capite aperto. Pater ei affirmabat, neque legi vlli, neque modestiæ virtuti repugnare. Si vel pauxillum intectam corporis partem aliquam videret, statim operiebat. Quin Patrem aliquem curæ suæ inuigilantem obsecrauit, ne omitteret se contegere, etiam si fortè (quando iam loqui non valeret) brachiorum iactu id deprecaretur. Vesperè ad Angelicæ Salutationis signum orauit eundem Sacerdotem ciuem suum, eâ sibi nocte vt adesset; præsentiens imminere nimbum aliquem tentationum, *Hac nocte*, aiebat, *agetur de summâ totius rei.* Quin tertium eodem illo die Valetudinis curatori dixerat apertius, paratas sibi à cacodæmone machinas, quare pro se Deum oraret. Magistro denique suo his verbis, *Pater, hac nocte luctabor;* alteri verò Sacerdoti istis, *Erit mihi hac nocte*

N

luctan-

luctandum, instantem prædixerat pugnam. Animum erigebant ei omnes, hortati, à beatissimâ Matre, Angeloque Custode certam speraret opem. Iuuenem intuitus æqualem sibi in Belgico Societatis Tyrocinio, Commendabo te, inquit, beato Aloysio. Qui cum rogaret, Siccine ergo lubet abire? *Cras, credo, ait, discedam.* Circiter primam noctis, ambulationes exedræque Valetudinarij conferta erant Sacerdotibus alijsque domesticis, ad eò quilibet, ne abesset, supremi illius temporis studebat esse securus; neque facile, ut abirent longius, persuaderi se sinebant; dum Rector dormitum omnes proficisci iussit ad capiendum somnum, pollicitus, si mori contingeret, esse eos expergefaturum: quo promisso cubitum omnes discessere. Præceptori abiturienti, dicenti que, Vide sis, mi frater Ioannes, in reditum me expectes, neque absente me proficiscare; respondit, *Ne dubitet R. V. præsens aderit meæ profectiõni.* Patrum aliqui, extra eos quibus assistendi mandata erat cura, pro suâ in eum pietate rogarunt, uti manere sibi liceret. In his P. Stephanus del Buffalo studiorum Præfectus, foris, vicino in cubiculo, horis plusculis moratus, pactus ut vocaretur, tandem discessit. Cum nonnulli ex ipso morbi genere augurarentur mori eum etiam loquentem posse, id que audisset Ioannes,

nes,

nes, *Sic eueniet*, inquit, *etenim spero*, cum al-
 terum à Deo poposcerim, ut aut in castris
 moriar inter iuuandum milites qui in Belgio
 aduersus hereticos præliantur; aut sensibus in-
 tegris, ac loquens; hoc altero duorum à Deo me
 cumulatim iri: prorsus non dubito. Digressis
 omnibus, Valetudinarius pauxillum illi car-
 nis in liquorem decoctæ præbuit. quod cum
 exforbisset, Abundè, inquit, mi frater, oro
 te, sobrius est, iam orandi, non edendi
 tempus est. Remanserant eâ nocte ad perui-
 gilandum tres Patres Belgæ. ac secundâ ferè
 noctis horâ Ioannes vni eorum sponte suâ,
 Bonum factum, ait, si preces recitentur, quibus
 migrantium animi subleuantur, ne fortè com-
 modius deinde tempus deficiat; & mos illi ge-
 stus est. In Litaniâ decurrendâ, cum ad Con-
 fessorum ordinem ventum, voluit addi no-
 mina Indigetum nostrorum S. Ignatij &
 Xauerij, beatorum Aloysij & Stanislai, beati
 Francisci Borgiæ, Patris Iosephi Anchiætæ,
 & Alfonsi nostri Rodriguez. Finitis preci-
 bus, experiebatur an somnus se vllus com-
 plecteretur: at vbi nihil esse somni sensit, in
 aliam partem versus, contentâ alacrique vo-
 ce cantare cœpit Hymnum, *Aue maris stella*,
 concinnâ iucundaque sonorum varietate.
 Ad illa autem verba, *Monstra te esse Matrem*,
 subito se erexit. Monenti Valetudinario ne

Prædicat loquentem se esse moriturum.

P. Marcus van Doorne.

P. Ioannes Gouda.

P. Philippus Alegambe.

Cantat an- te moxtem.



se fatigaret, respondit, alacrem esse oportere. Denuo que presentes, uti pro se preces funde-
rent, rogavit, reformidans aliquem cacoda-
monis assaultum; illique animos ei fecere. Ro-
gatus à Valetudinario, aliquidne appeteret,
virium recreandarum causâ; Nullius, ait,
mihi appetentia est, sed si quid sumi P. Rector
iusserit, exorbebo quidlibet. Hic Patrum
aliquis excitare eum ad religionis actus ali-
quot, sententijs hisce Latine pronuntiatis,
coepit: Nunc oportet amare Christum &
beatam Virginem, quam amasti in vitâ, &
amabis in morte. Ille sic respondere: *Quam
conatus sum amare in vitâ, & ipsa amabit me
in morte.* Iterum alter: *Et utrumque amabitis
in eternum. Ita spero,* subiecit Ioannes. Paulò
post denuò Pater: *Ioannes, si mille corda ha-
beres, nonne Mariam mille cordibus amares?*
Tum Ioannes: *Mille cordibus amarem.* His
alijsque id genus colloquijs tempus trahe-
bant in quartam ferè noctis horam, cum vi-
sus ille in quietem verso corpore se dare vel-
le: at mox ostendit, non tam somni, quam
proelij aduenisse tempus; si quidem versatio-
ne vnâ in medium se lecti conijciens, oculis
in cælum fixis, turbato vultu, trementibus
labijs vociferari atque hunc in modum lo-
qui coepit: *Non faciam. Ego ut offendam te
Domine? Maria, ego numquam offendam filium
tuum.*

P. Alegam-
be.

*tuum. Absit à me. Non faciam. Malo millies
 mori, decies millies, centies millies, millies mil-
 lies.* Exaudière clamantem qui vicinis in
 exedris vigilabant; excitique & accurrentes,
 angustijs velut obluçantem, iactantemque
 perturbatijs brachia reperère. Sed mox ad
 cacodæmonem conuersus, *Abi, aiebat, satana,
 non timeo te.* Alij circum lectum genibus
 nixi, preces fundere; Ioannem, lectum, cubi-
 culum aquâ sacrâ lustrare; ille Crucis sigil-
 lum, Rosarium, Regularum codicem, & Re-
 liquiariam thecam manu corripere: *Hæc,* in-
 quiebat, *arma mea sunt,* singulaque seorsim
 intuitus, suam cuique singularem laudem
 attribuit. Iniecto tandem in collum Rosario,
 voluere Regularum librum cœpit, titulis so-
 lis perlectis, dum incidere in formulam sim-
 plicium votorum, quam eximio sensu recita-
 uit, perinde atque fieri quotannis bis publicè
 consuevit coram Venerabili Eucharistiâ,
 dum vota instaurantur. Quòd autem ad vi-
 tæ terminum attigisse se videret, ea verba
 omisit, *Vt vitam in eâ perpetuò degam,* cetera
 deinde persecutus. Certamine finito, Sacer-

P. Petrus
 Granita.

gente, versanteque varias in partes nunc hor-
 sum nunc aliorum, vti consueuerat scilicet,
 cum per vicus plateasque ac fora Romana
 id praeferebat concionibus aduocandis. Vbi
 ventum ad inuocationem Dei, dicto, *Parce ei
 Domine*, Ioannes sistere paulisper, & solus ipse
 oculis in crucem fixis, tricies, praeter propter,
 magno illud affectu sensuque repetiuit, *Parce
 Domine, Parce Domine, Parce Domine*. Hic
 Valetudinarius, venarum pulsu explorato,
 deprehensaque maiore virium debilitate,
 non obscure magnis eum passibus ad vita
 metas properare sensit. Rectorem ergo cele-
 riter admonet, ceterosque quos iubebat Re-
 ctor. Adfuere citò ad sextam omnes: Rector
 ingressus, Ioannem ad exercendos varios pœ-
 nitentię Theologicarumque virtutum actus,
 sententijs hisce breuibus, quibus alias solitus
 erat, per hunc modum prouocauit: *Daleo Do-
 mine, Credo Domine, Spero Domine, Amo Do-
 mine*. Tum illo etiam sapius repeti iusso, *Pa-
 ratum cor meum Deus, paratum cor meum*; ce-
 terisque parum per dimissis, vltimis Pœniten-
 tię sacris eum expiauit, solusque cum solo
 aliquamdiu collocutus est. Egresso Rectore,
 spiritualium rerum Præfectus ingressus est;
 alijque interea Patres, Rectori certaminis
 nocturni cum inferno hoste seriem (cuius
 huc vsque nihil intellexerat) exposuere; re-
 gressus-

gressusque præfente adhuc Præfecto, ut eum percunctaretur, offendit tam loquendi facultate defectum, ut verbum ab eo nullum posset extorquere. Eo animaduerso introire in cubiculum omnes, lectum circumfedere de genibus, Deumque Ioanni propitiare. Iacebat Ioannes supinus, sensibus integris, nec impeditis, defixis in Crucem Rosarium & librum oculis, quæ tria ambabus tenebat manibus, ita posita in conspectu, ut attractis erectisque genibus (ne à visu abessent) sustentaret; manus sigillumque Crucis modicè in genua inclinanti, cetera elingui ac muto solus supererat palpebrarum motus. Ad hunc modum quaternis ferè horis lectulo spirantis circumaduoluti, Deo animam eius commendabant, nunc preces repetendo, nunc religionis aliarumque virtutum actus subministrando: quod ille studium nutatione palpebrarum, gratum sibi esse indicabat. Gaudebat idemtidem lustrali aspergi, conatusque Crucem propius admouere, cum à proximis iuuaretur, admotam ori religiosissimè dissuauabatur.

Nonnullos ægrè habebat, non iam reipsa probari, quod superiore vesperâ prænuntiauerat futurum; loquentem nempe moriturum se esse, eò maximè, quod cetera eius dicta fuissent euentis huc vsque confirmata.

Horum quoque Deus metum subleuauit: nam circa nonam, cum leuem aliquem labiorum motum P. Franciscus Piccolomini in eo aduertisset, rogassetque, num quid vellet; ille adnexus quantâ poterat vi, hæc verba expressit, *Vellem posse loqui*. Subijciente mox Patre, vt mente efferret IESV nomen, quando voce non posset: ille insigni adhibitâ contentione, semel, iterum, sæpius explicatè IESV nomen pronuntiauit, vocemque paulatim cum loquendi vsu recepit. P. Rector, qui à sextâ ad vsque decimam illi adfuerat, animaduerso quòd expedite iam loqueretur, multiq̃ue iuuando superessent, Ioannes frater, inquit, tempus est operandi sacris. Interea caue ne moriari, sed reditum meum opperire. Ille gratum sibi imperium esse indicans, respondit facturum. Dum Rector ad aram facit, nequissimus ille mortalium hostis alterâ Ioannem dimicatione sollicitare cœpit; atque ille momento turbatus territusque, iactare sese, vnoque impetu in has voces erumpere: *Hoc non feci voluntariè, non feci volenter, veniamus domum, veniamus domum*. Præceptor eius, aduertens esse cacodæmonis oppugnationem; Ioannes, ad me attende, inquit, neque aliud quàm quod ego præibo, eloquere. Dic, *Credo Domine, Spero Domine, Amo Domine*. Ioannes rectè quidem ea verba

repe-

*Recuperat
loquendi
vsu.*

*Iterum
tentatur.*

vel speciem aliquam criminis fabricati.

Præferbat hoc tempore Ioannes voluntatem alicuius rei postulandæ, interrogatusque à Magistro quem vellet, respondit, velle R. P. Rectorem. Aduocatus quamprimùm est Rector, qui Sacro iam iam finito, quanto cyùs accurrat. Reddita Adolescenti erat tranquillitas animi, orisque hilaritas, & viso Rectore gestijt, latus se implese expectandi imperium. Tum Litaniam Cælitum eo mense vertentium recitari petijt, quod à Magistro eius factum, Ioanne repetente religiosè nomina omnium: ac cum nonnumquam linguæ iam tumefactæ vitio hallucinaretur, adnitebatur repetere, donec perfectè protulisset. Alio deinde Sacerdote percurrente Litaniam Mariæ Virginis, Ioannes non solùm distinctè repetebat singula à Sacerdote dicta, verùm etiam illa quæ Sacerdos ipse aut traieciat, aut omittebat dum subinde ad ægri vultum oculos conuerteret, accuratè restituebat, adeò præsens illi aderat animus. Atque hîc illud particulatim notatum fuit, quòd etiamsi aliàs, quoties Litanix recitabantur, summâ semper attentione religioneque oraret, iam tamen, quando à Sacerdote illa Virginis encomia dicebantur, *Sancta Virgo virginum, Mater castitatis, Regina Virginum*, singularem prodebat affectum, sublato

è cer-

è cervicali capite, & in Virginem quasi inclinato, vultu ad pietatem religionemque composito; clarissimo haud dubie indicio amoris cuiusdam eximij in Virgineam puritatem. Hoc tam religioso apparatu, tot excitatis virtutum actibus, extenuatis paulatim viribus, manè Idibus Augusti anni M. DC. XXI. qui Veneris dies erat, dimidiâ supra duodecimam horâ, annos natus duos & viginti, menses quinque, oculis in Crucem, quam manibus vnâ cum Rosario Regularumque libro complectebatur, defixis, pronuntiatis sanctissimis IESU ac MARIÆ nominibus, confecto feliciter peregrinationis suæ curriculo, innocentem animam placidissimè reddidit Creatori suo; nosque vitæ suæ integritate ac sanctimoniâ non minùs accendit, quàm consolatus est exitu mortis tam illustris.

Quàm primùm è viuis migrauerat, caduere iam de more curato, pollinctoque, ad eò in natium colorem Ioannes redijt, vt viuo similior quàm mortuo, spirare, placidissimeque dormire videretur: non diu tamen ea species constitit, quin floridus ille oris color in pallorem versus facilè ostenderet, priscum formæ decus iam morti in spoliū cecidisse. Fuit Ioannes staturâ iustâ, constitutione sanguineâ, præstantissimâ humorum temperatione, carnosus lacertorum toris, specie verè
Ange-

Angelicâ, colore candido & rubore diluto. Ampla illi erat frons, tantaque ciliatorum densitas, ut pili palpebræque nigredinem imitarentur. Oculos habebat acerrimos lucidissimosque, sed pudicos, honestate suauitateque plenos, in terram perpetuò deiectos: nasum iustæ proportionis, aliquantum aquilinum: labia parua, sed rubentia: malas gilvâ lanugine asperfas, eodemque colore capillum. Semper ei quietæ manus, compositæ ante pectus. Incessus neque tardus, neque concitatus, sed moderatè grauis. Totius corporis habitus adeò ad modestiam factus, ut obuios obtupesceret componeretque. Quin multi videndi cupiditate capti, resistebant etiam hærebantque ad eximium illud modestiæ decus intuendum. Ad summam, dici potest, tam puro præstantique animo corpus à Deo datum fuisse, quod formâ aptitudineque cum animi pulchritudine certaret; quodque *ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, forma probitatis*, ut de Deiparâ Virgine Ambrosius loquebatur. Receptum est Societatis moribus, quamprimùm quis animum exhalauit, signum dari ære Campano, ut quicumque nostrum audierint, protinus genibus flexis, pro mortuo Deum deprecantur; præterquam quòd quilibet eius loci Sacerdos tria faciat Sacra; non Sacerdos, tria Rosaria

Rosaria persoluat in gratiam vitæ functi, supra Sacra illa ac preces, quæ non modò in eâ Provinciâ, sed per vniuersi Ordinis domicilia indicuntur. Statim atque Ioannes supremum ediderat spiritum, Ædituus id signi fecit: quo audito, incredibile dictu est, quanti extiterint motus. Accurrerunt quippe in valetudinarium affectu ingenti osculandi manus innocentissimi Adolescentis, eiusque se precibus commendandi: ac pro suâ quisque religione opinioneque, quam de eximiâ eius sanctitate acceperant, singuli aliquid sibi vindicabant earum rerum quibus fuerat vsus. Neque verò tum primùm, sed triduo ante mortem, ablatæ ex eius cubiculo fuerant imagines, quibus prosternere se inter orandum assueuerat, flagellum quo se solitus verberare, ceteraque supellex pia. Iam autem eius indusia, vestes, calcei, reliquæque res pro reliquijs abripiebantur. Neque id modò agebant Collegij iuniores alumni, sed grauiissimi quoque Patres, ac Sacræ Theologiæ, aliarumque disciplinarum Professores, qui beneficij loco flagitabant, hic Rosarium eius, ille libellum tutelarium Diuorum, quos in menses collegerat: alius partem calceorum, alteriûsve alicuius rei, quam ipse vel tactu vel tractatione vsurpauerat.

Verfabantur eo tempore Scholastici cum
Profes-

Professoribus in Scholâ , cùm Ioanni vita erepta est, auditoque æris signo, pars maxima dolore liquefacta , vbertim lacrymari , tam chari fratris sodalisque iacturâ ; eò magis , quòd felicem illius demigrationis exitum spectare non licuisset : intermissâ verò lectione , in eas se fortunatæ illius animæ laudes effudêre , quas inueterata sanctitatis opinio repentè suggererat. In his vnus P. Iacobus Seccus Lusitanus , creatus deinde Episcopus vt succederet Æthiopico Patriarchæ , qui in eorinere decessit , cùm de suggestu id temporis Theologiam explicaret , audito signo tacitus restitit , oculisque lacrymarum plenis , mœroris sui causam auditoribus indicauit ; ijsque Ioannem laudibus extulit , quas deinde , Româ discessurus in Æthiopiam , hoc illi testimonio tribuit :

Ego Iacobus Seccus Sacerdos professus Societatis I E S V , affirmo familiariter me vsum fuisse Ioanne Berchmanno Flandro-Belgâ , in Collegio Romano eiusdem Societatis , iuvene insigni vitæ innocentia , animi puritate , morumque suauitate. Ob quæ ornamenta sæpius eum appellauit verum seruum filiumque beatissimæ Virginis , quam ardentissimâ charitate amabat ac venerabatur. Non rarò etiam sub vltimos vitæ menses , cùm Sacro meo ministraret , religioni habere cœpi,

cœpi, tractari à me indignè irreligioseque diuina illa Myſteria, illo mihi miniſtrante, quem ab animi puritate, aliarumque virtutum cõmendatione ſciebam Deo acceptiſſimum eſſe. Cùm in vltimam incidit ægritudinem circa Aſſumptę Virginis feſtum, vtcumque leuis initio eſſet morbus, per eam tamen opinionẽ quæ de eius mihi ſanctimoniã erat, clarè dixi P. Marco van Doorne, iam Gandauenſis Collegij Rectõri, id temporis verò Romano in Collegio mecum Librorum inſpectori, Ioannem verofiſimiliùs moriturum, non morbi quidem grauitate, ſed quòd tam caſtum Marię ſeruum ac filium Deus ſibi vindicaturus videretur. Poſt feliciffimam eius mortem tria Sacra, quæ defunctis in eadem Domo Sodalibus expenduntur ab alijs Societatis Sacerdotibus, ego quidem perſolui; non tamen pro mortuo feci, ſed de Deiparã, vt gratiam referrem Deo, quòd talem tam innocentem Matri ſuę famulum in cælum tranſſcripſiſſet; vertebam enim mihi in religionem quaſi poſthabitarum diuinarum promiſſionum, ſi Deo preces aut Sacra pro illius animã perſoluiffem, in cuius innocentiffimã vitã, tam felici exitu abſolutã, numquam vel minimam deprehenderam actionem, quæ non ex diuinę legis aut Regularum noſtrarum eſſet præſcripto facta. Neque
minùs

minùs mihi certum est, illum iam in cælis à Deo ingenti cumulatum esse gloriâ, quàm si præsens hisce oculis vsurpassem. Si autem vniuersas eius virtutes commemorando percurrerem, res de illo plurimas affirmare possem, qui censeo in omnibus eum excelluisse. Sed pauca hæc in Dei gloriam ac laudem, de tam sancto atque innocente fratre nostro Societatis alumno, nostrumque omnium exemplo, iuratâ religiosè sacerdotis fide putauisse testanda.

Pares in eius laudes contulère Patres ceteri ac Professores, quorum dictis accensi adolescentibus, ad videndum venerandumque tam insignem Dei seruum, dimissis scholis, in Collegium accurrentes, non fuere admissi, atque vt hi, ferè millia duò conficiunt auditorum, domum quisque suam reuersi, vulgarunt, scilicet sanctum Patrem quemdam in Collegio è viuis excessisse, Præceptorum suorum dicta celebrantes. Ita fama & Ioannis nomen vrbem latè peruagata sunt: dolueruntque Viri multi illustres, neque priùs se de illo inaudisse, neque ægrum, eaque sanctimoniâ clarum inuisisse. In his Cardinalis Bellarminus, vir eximie sanctitatis eruditio- nisque laude inter omnes notus: qui auditâ eius morte, tantarumque virtutum ornamentis, cum lacrymis deplorauit, neque viuo fami-

familiarius se fuisse vsum, neque ægri inu-
tudinem cognouisse, neque per morbum vi-
firasse, vt salutem suam eius precibus com-
mendaret.

Rector, cognito quid in scholis euenisset,
vt quantum ratione fieri poterat, rebus om-
nibus prouideret; Collegij consultoribus,
alijque grauioribus Patribus in concilium
vocatis, sententias rogauit singulorum, quid
corpore eius faciendum censerent. Vna om-
nium vox fuit, primùm vt facies eius à picto-
re aliquo depingeretur, quod cœptum mi-
nùs è sententiâ successit: deinde vt loculo se-
parato contumularetur, quò ossa eius, nullis
alienis permixta, internoscerentur, si Deus
fortè prodigijs eum à morte celebraret: deni-
que, vt quo tempore exequiales preces in
Templo adhiberentur sepulture, Patres qua-
terni capulum circumstarent, ad intempe-
stiuam populi religionem coërcendam, si
fortè ad corpus propius perrumperent. quæ
omnia ad amissim facta sunt. Corpus in
Templum illatum est, feretroque imposi-
tum, portis eousque clausis, dum cærimoniæ
inchoarentur. Intereà è Professorum Do-
mo, è Tyrocinio, atque vndequaue multi
accurrere Patres, alijque qui Rosaria conta-
ctu corporis, corpus osculis atterebant; ad-
missis verò aliâ portâ turmatim externis,
O breuî

breuî flosculi omnes (qui corpori erant aspersi) fuere discerpti. Ablata ei sunt paruum Crucis sigillum Rosariumque quæ manu tenebat; pileus, & crepidæ; læpius verò precariæ coronæ in manibus eius commutatæ, nouæque semper ab ijs qui priores auferebant, in earum locum substitutæ.

Funebres preces præiuit P. Busæus Germanicarum rerum Assistentens, super togâ stollatus, ministrantibus contubernalibus Ioannis. Rebus omnibus apparatis, reserata sunt Templi fores, ingensque irrupit multitudo. Summa initio quies fuit: at mox, vbi externis deosculandi manus, corpusque coronis precarijs attingendi facultas data est, iam nec secandis vestibus temperarunt; tantusque existit repentè comprimentium impetus, vt non modò quaterni Patres obruerentur, sed neque deni resisterent violentiæ populari.

Conuenerant omnis ordinis conditionisque homines, Religiosi varij præcipuarum etiam Familiarum, qui venerabundi, mortuo manus dissuauiebantur, coronisque Rosarijs contingebant; ac Reliquiarum nomine particulam aliquam vestium modestè flagitabant; dicentes videri sibi vel ex ore mortui splendorem quemdam sanctitatis etiamnum elucere.

Precum cærimonijs finitis, in vestiarium
neces-

necessariò corpus deferendum fuit , quod spoliantium religio nudum propè reliquerat, atque hïc non à nostris domesticis modò, sed à præcipuæ dignitatis viris, qui confertæ illi multitudini cesserant, religiosè contrectatum fuit. Nonnulli ingentem Rosariorum numerum ad affricandum, quidam annulos ad induendum digitis; alij strophiola ad contingendam faciem comportarant: quin tanta fuit venerantium multitudo, vt sæpiùs corpus in Templum efferre denuò coëgerint clarissimorum virorum vota.

Cùm verò increbuisse fama, eo vespere sepultum iri; nonnulli dignitatibus illustres oratum misere, vt in auroram sequentis diei sepultura differretur, quòd videndi eius desiderio maximo tenerentur. Id quod, cùm ne aliter quidem fieri posset, ex more Ecclesiastici ritùs, definentis diem totum mortuo dari insepulto (Ioannes autem horis vixdum duodenis viuus esse desijisset) eorum simul precibus condonatum est. Noctu, digressis omnibus, Sacerdos Templi Ædilis, fictâ priùs è gipso formâ capitis, corpus disseccari fecit, in quo nullum recentis morbi deprehensum vestigium, præter exiguam aliquam pulmonis lienisq̃ inflammationem. Romam quippe vt è Belgio primùm venit, corpore erat lactis succiq̃ pleno; at mox

Romæ asperitatum frequentatione, perfectâ domestici ordinis obseruatione, assiduis animi exercitationibus, scientiarum virtutumque studio adeò macie extabuit, vt priscam sui similitudinem vix referret; neque pingue quidquam corpusculo eius inhæreret, quinimò omentum ipsum, quo intestina continentur, quod adipe plenum vulgò esse solet, in eo repertum grandi macie torridum: quo colligebant anatomices periti, victurum eum diu non fuisse. Cor autem, cum multo abundaret sanguine, argueretque, indole fuisse sanguineâ, id quoque virtuti eius tribuendum est, quòd ab ijs vitijs propensionibusque absuerit longissime, quæ huiusmodi ferè constitutionis hominibus adhærescere consueuere.

Extractum est cor, seruatumque, ac post menses aliquot in Flandro-Belgium asportatum; vbi venerationi habetur in Collegio Louaniensi. Templi Ædili cupido incessit explorandi an placidissima illa suauitas, mansuetudoque Ioannis, ex ipso corporis habitu nasceretur. Quæsito ergo per Chirursum felle, folliculus eius tam inanis repertus est, vt nec fellis indicium vllum superesset; quo nempe carere columbam hanc felicissimam decebat. Fuit denuò indutus vestibus, loculoque impositus; ac sequenti die (qui Sabbatinus

tinus erat, peruigilium Virginis assumptæ) tanti, præter ceteros, honoratissimorum hominum, Episcoporum, Præfulum, Aulicorum, illustriumque Matronarum conuentus ad videndum facti sunt, vt ante vesperum terræ mandari non permiserit eorum pietas ac religio singularis; ac tum deprehensum, non solum resectas ei vestium esse partes, sed vngues etiam, & capillos, vnumque digitum pedis, præterquam quòd in discessu aliquid ei auferre singuli Reliquiarum loco conarentur. Denique vt Sabbato natus, ita nocte Sabbati, ligneo tymbo compositus, inscriptione plumbeæ laminæ incisâ; Ædilis ipsius manibus recenti sepulchro, in Sacello beati Aloysij, in quo ad eum diem nemo conditus erat, tumultatus fuit; exinde in alterum commune sepulchrum translatus est ad Sacellum sanctæ Crucis, in quo annos olim aliquot iacuerat B. Aloysij corpus.

Protinus accensa est multorum pietas ad inuocandam eius in rebus aduersis opem, cœpitque visitantium honorantiumque concursu tumultus frequentari; ac manè quotidie à viris matronisque religiosis, ipso concursus tempore, floribus herbisque odoriferis aspergebatur. Fuere initio Viri illustrissimi, qui super sepulchro eius genibus nixi orabant, saxumque exosculati, aliquid sibi

Reliquiarum eius exposcebant : alij pro exoratis beneficijs donaria ex voto adferebant, aut è Sacelli parietibus fuspendebant, aut imponebant sepulchro, nec rarò cereos honori illius accendebant. Neque ab exteris magis atque ab ipsis domesticis, diu noctuque obfessum est eius monumentum. Hoc ipso autem tempore quo hæc scribo, mirificè crevit cum Romæ in eum Religio, tum apud Transalpinos; partem præconio eorum qui hinc discessere, partem Reliquijs eius ad varia loca missis, imaginibusque eius sapius recufis, quæ in veneratione sunt. Iam verò latiffimè innocentia sanctitatisque eius fama percrebuit per Europam, multi que conceptis ad eum perfugiunt votis.

Prætermitto hîc de industriâ prædictiones, quas de morte suâ edidit; vîsâ, in quibus post mortem non paucis vario locorum interuallo apparuit; miracula beneficiaque, quæ exequiarum eius die, ac postea, cum Romæ tum in alijs Italiae aliarumque Provinciarum urbibus à Deo præstita sunt, ostendendæ apud homines gloria, quâ inter Superos iam potitur : etiamsi fortè & numero & genere maiora ea sint, quàm aliquis opinetur. At quoniam eorum multa iuratis iam testimonijs confirmata sunt Romæ, iussu Gregorij XV. aliaque prætereà diuersis

uerfis in locis conquiruntur; fatius, quando ea probata fuerint Apostolicę Sedis auctoritate, simul omnia vulgabuntur; maximè ex quo sic fieri placuit Pontifici Maximo Christi Vicario, cuius publico decreto in posterum vetitum est historias vllas de viris opinionone sanctitatis claris, nisi eâ lege conscribi. Atque eius sanè voluntati ab omnibus parèdum promptissimè est. Quamquam apud me nihilo magis miracula qualiacumque valere possunt ad probandum mihi Angeli huius innocentiam, atque ista cogitatio, quâ recordor, quantos ipse viderim animorum motus, quos fructus, quos effectus per mortem, opinionemque sanctimonię eius excitatos in animis Patrum, Fratrumque Collegij Romani & Transalpinorũ, ac maximè Flandro-Belgarum: quantam denique vtilitatem scholasticę iuuentuti attulerit religio pietasque in eum prouocata. Quicumque certè huc oculos aduerterit, quàm multi vitæ mortisq; illius exemplo permoti, atque in se conuersi, laxiorem viuendi rationem correxerint, resectisq; ad viuum vitijs (quibus à vitæ perfectioris cursu retardabantur) totâ se animi contentione ad orandi studium, ad voluntariarum afflictionum vsum, ad acrem sui custodiam, ad legum accuratam obseruationem, ad assiduam cęlestium rerum in collo-

quijs tractationem, ad flagrantissimam denique animorum Deo lucrandorum occupationem contulere; haud alia desiderabit miracula, vt credat, Ioannem fuisse iuuenem omni virtutum genere florentem, Deoque in primis charum. Qui intellexerit, quantum Ioannes castitatis suæ exemplo valuerit ad seruandam pudicitiam atq; honestatem eorum adolescentum qui Collegij nostri Scholas frequentant; quàm multis illi se sentiant illecebris oppugnationibusque, eo inuocato, liberari; quantus eorum sit numerus, qui illius imitatione statuerunt, desertis sæculi vanitatibus, ad Religiosas familias conuolare; necesse est, vel nullis alijs miraculis allatis, exclamet; *Digitus Dei hic est.* Sed vt nullius tamen generis approbatio huic Dei seruo Virginisque filio abesset; visum præterea Deo est visionibus, apparitionibus, reuelationibusque indicare gloriam quam ei inter Cælites contulit, vt olim constabit, quando typis vulgabuntur excusa.

Hæc pars aliqua est earum rerum, quas de vitâ morteque Ioannis Berchmanni assequi valui testimonijs hominum fide dignorum. Vtinam Deo placeat, & viuum eius ope imitemur, & mortuum in æternam gloriam subsequamur! Amen.

PARS

PARS QUARTA VITAE

IO. BERCHMANNI.

Egregium testimonium P. Cornelij
Cornelij à Lapide de Ioanne.

ANIM ADVERTI in nostro Ioanne Berchmans virgineam verecundiam, candorem, modestiam, taciturnitatem, innocentiam, puritatem. Sapius audiui à nostris, mirari se, si maior in beato Aloysio fuerit, necdum videre se, quid Ioannis addi possit. Humilitate fuit insigni, quâ cuique cedebat, omnibus autem Coadiutoribus prior caput aperiebat, etiam si subinde illi non adverterent, nec eum resalutarent. Omnes reuerebatur, non tantum Superiores, sed & alios quoslibet, præsertim Sacerdotes. Mihi non semel contigit, ut dum in hieme frigoris causâ in aulâ vehementius inambularet, egoq; per illam transirem, gressum inhiberet illico, caput aperiret, immotus vultu demisso consisteret, donec pertransissem. A Præceptore eius frequenter audiui, ipsum ei singulis mensibus schedulam orationum,

O 5 & pæ-

& pœnitentiarum pro eo gratitudinis ergo ob-
 eundarum, obtulisse. Comitatus & suauitate om-
 nibus erat charus: numquam audiui qui de eo
 quereretur, vel defectum quempiam notaret, ut
 maturus iam celo videretur. Consummatus enim
 in breui, expleuit tempora multa. Vultu semper
 erat læto & hilari, sermone candido, incessu ve-
 loci, sed non incitato. Denique mores & actus
 eius Angelici potius videbantur, quam humani.
 Lampades concinnabat mirâ sedulitate, eadem
 crebro seruebat in culinâ. Charitatē eius depra-
 dicant Coadiutores, & infirmi: singulos adiuua-
 bat, consolabatur, omnibus obsequabatur, & ser-
 uiebat, seruebat enim spiritu: obedientia & obser-
 uantia Regularum valde fuit studiosus. Missus
 subinde ad me, pulsans cameram, cum à me audi-
 ret, Ingredere, consistebat tacitus, mox iterabat
 pulsum secundo & tertio, donec consurgerem, &
 ad ianuam accederem, eò quòd diceret, se illâ vice
 veniam ingrediendi cubiculum meum non petiisse.
 Crebro obibat pœnitentias & mortificationes,
 tum priuatas tum publicas in Refectorio, uti sæ-
 pè vidimus. Orationi multum vacabat, semperq;
 in præsentia Dei versari videbatur, & idcirco
 singula exactè & perfectè faciebat, ut etiam in
 minimis præ alijs resplenderet eius decor & vir-
 tus; filius gratiarum videbatur. Diligentia eius,
 & studio illustre testimonium dat Præceptor, ut
 veri scholaris Societatis I E S V Collegio Romano
 exemplar

exemplar exhibuerit: quod utinam omnes imita-
 rentur! sanè in eo, uti stella in calo, emicuit. A
 prandio & cœnâ sæpè mecum collocutus, in Do-
 mino me recreauit, cum nonnisi religiosa & spiri-
 tualia, præsertim quæ ad institutum nostrum,
 cuius erat zelator, spectant, narraret. Sanè paulo
 ante mortem mecum visitans S. Paulum ad tres
 Fontes, toto itinere non aliud tractauit; ubi &
 insigne dedit specimen obedientiæ & modestiæ.
 Cum enim cuperem pergere ad sanctum Sebastia-
 num, ideoq; præcederem, ut eum pellicerem ad
 sequendum, illic ante Templum restitit aperto
 capite, verecundè, demissis oculis in regressu ro-
 gavi causam: respondit magnâ demissione, Pater
 mi, non veniemus tempori ad mensam, nisi eo iti-
 nere, quo venimus, regrediamur. Regressus, cum
 mox à prandio domum redire me velle putaret,
 dixit: Reuerentia vestra poterit cum alio socio
 redire, ego enim veniam redeundi non habeo;
 quare eius causâ usque ad vesperam in vineâ
 mansi. In colloquijs si quid diuersum ab eo senti-
 rem, tacebat, audiebat, acquiescebat. Eximius fuit
 cultor B. Virginis, cuius se filium vocabat. In
 morte, licet canendi imperitus, bellè cecinit,
 Monstra te esse matrem, &c. Vni è nostris
 Concionatori petenti monitum salutis, hoc me P. Copponi.
 audiente dedit: Reuerentia vestra semper tuea-
 tur immaculatam Conceptionem beatæ Virginis
 usque ad mortem. Inuenta est eius sanguine sub-
 scripta

scripta schedula, in quâ illam se semper defensurum iureiurando confirmat. De eius puritate & immunitate à peccato mortali per omnem vitam, & à veniali deliberato in Religione, & à motibus carnis, audiui cum alijs publicè asserentem eius Præceptorem in Oratione funebri. Moriturus, nullum mœroris aut passionis alterius dedit signum, vti nec aliàs vllum tale in eo notant, resignatus, patiens, serenus, hilaris, vti in vitâ. Paulo antequam sumeret Viaticum, secretò rogatus à me, num quid haberet quod angeret vel affligeret animum; expansis manibus, & ex perrectâ fronte, ridens asseruit, Nihil omnino. Solus deinde cum solo collocutus, cum ardoribus aestuaret, poposcit aquam ad abluendum os & manus: præbui cum pelui, rogauique, num febris urgeretur, affirmavit: sed ita vt nullum gemitum, nullum doloris daret indicium. Sumpsit deinde syrupum, ac mox petijt à me, vt Gratias recitarem, quasi cœnam sumpsisset. Recitavi, illo attento, & respondente; mox piè collocuti, cum ei ingererem IESVS meus, amor meus, & omnia; hilarescens, Ita, ita, inquit, IESVS centrum cordis, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Et ingeminabat illud, quod à Reu. P. Rectore audiuerat, Puer meus noli timere, quia ego tecum sum, dicit Dominus. Si transferis per ignem, flamma non nocebit tibi, & odor ignis non erit in te: liberabo te de manu

manu pessimorum, & eruam te de manu fortium. Petij, num quid à me cuperet: respondit, se petere vt postridie pro se Sacrum dicerem. Dixi, & non obtinui quod ego, scilicet eius sanitatem, sed quod ipse cupiebat, nimirum dissolui, & esse cum Christo: nam sub finem Sacri animam Deo reddidit. Rursum, Ora pro me, inquit, Pater, vt non capiat me nausea dulcium, qua mihi exhibent: voti fuit compos, nam paulo post ad extrema deuenit. Morituro se sigillatim commendarunt nostri, petentes monitum aliquod: quod cuique dedit tam appositè, vt nonnulli dixerint, non potuisse magis appositum dari, etiam si conscientia secreta penetrasset. Tantus fuit externorum ad funus concursus, vt custodes apponi oportuerit: & tamen rapuerunt pileum, crepidas, crucem, Rosarium, vestem, &c. Videbar mihi videre concursum Romæ ad funus sancti Alexij. Multi etiamnum petunt eius Reliquias, ac non pauci fatentur se per eas beneficia calitus consecutos. Verùm pluris apud me est suavis pietatis affectus, qui post eius mortem totum Collegium peruasit, quasi eius meritis à Deo afflatus.

Ego difficilis sum ad lacrymas, & tamen eius in Templo vultum intuens, eas cohibere non potui, ideoque ab eo vultum auerti, vt Officium Defunctorum prosequi possem. Crebrò menti meæ obuersatur. Videor per diem aequè ac noctem eum coràm intueri, nec horresco, sed potius ad letitiam

letitiam spiritualem, & ad alacrius Deo seruiendum accendor. Nequeo in animum inducere, ut pro defuncto orem, sed opto, ut ipse pro me oret, utq; anima mea sit cum anima illius. Viuat anima mea vitâ, & moriatur morte Ioannis. Multi colloquijs de eo satiari non possunt. Det Deus, ut diuina in nobis eius restet memoria quam intueamur, & amulemur. Iuuenis fuit etate, sed virtute vir, constans, semperq; sui similis, exactus, non scrupulosus; hilaris, non dissolutus, sed hilaritatem religiosâ maturitate temperans. Tempus aded habebat in pretio, ut numquam esset otiosus, semper occupatus, semper serius. Recreationem, licet peramœnam & piam, mecum abrumpebat, & antipendio instar Coadiutoris se præcingens, lucernas suas adornabat, ne quod tempus studijs adimeret. Risus eius modicus sine cachinnis, sales sine dente, gratia sine affectatione. Præstabat illud Apostoli: Omnis sermo vester in gratiâ, sale sit conditus. Non memini ab ore eius me audiuisse verbum otiosum, multo minus quod defectum cuiusquam tangeret. De omnibus benè sentiebat, & honorificè loquebatur: numquam vidi tristem, numquam iratum, nec tamen in actione erat lentus aut remissus, sed acer & expeditus. Philosophiam totam publicè magnâ cum doctrinâ & modestiæ laude defendit. Sanctos mirè venerabatur, varios ex

eis

eis delegerat Patronos, quos alternis hebdomadis variabat: catalogum eorum & ordinem aliquando mihi recitavit. Affectus peculiare erga aliquos non habebat, idem & communis erat eius in omnes amor. In recreatione primò occurrenti se iungebat, eamque crebrò & libens peragebat cum Coadiutoribus, qui eius spiritum depradicant. Magna animo destina-
 bat. Optabat vivere & mori in castris, adiuuando milites pro Fide certantes, quasi miles, imò antesignanus Christi. Mortem suam prædixit, lætãque in eã, quam generosè sustinuit, & superavit; ac deinde recuperatã loquelã, quam amiserat, lætus suspirans ad cælum, placidè pièque obdormiuit in Domino. Humi deponi voluit, ibique sacram Synaxim sumpsit, præmisso iuramento se velle vivere & mori in Fide Orthodoxa, in Societate, &c. Regulas Societatis poposcit, dicens, se numquam ullam deliberatè transgressum esse. Crucem manu gestabat; cùm id non posset, alius illam ei præferebat, & quocumque ipse eam inflecteret, oculis animòque sequebatur. Nonnulli viri graues ad scholas vel ad Templum ventitabant, tantùm, vt eius modestiã & pietate se pascere. Mihi ordinariè è scholis descendenti hilari vultu occurrens, lætitiã aspirabat, & etiamnum suã imagine mihi obuersante, magisque suis apud Deum meritis & precibus

bus

224 VITA IOANNIS BERCHMANNI.
*bus adspirat. Denique mihi alijsq̄, iuge extitit
virtutum speculum, & stimulus: utinam in
ultimo & magno mundi die cum illo ad glo-
riam resurgere, atque coram throno Dei &
Agni, inter illius calcaneum caput leuare
merear! Amen.*

Cornelius Cornelij à Lapide.



COL-

COLLECTIO
 VARIARVM RERVM
 SPIRITVALIVM

A

IOANNE BERCHMANNO
 AD SVI UTILITATEM
 LATINE CONSCRIPTARVM,

QVÆ

VSVI ESSE POSSVNT
 ETIAM ALIIS.

*Oratio quam solitus erat recitare Ioannes,
 & vocabat eam Orationem Congrega-
 tionis.*

SANCTA Maria, Mater Dei,
 & Virgo, ego N. te hodie in
 Dominam, Patronam, & Ad-
 uocatam eligo, firmiterque
 statuo ac propono, me num-
 quam te derelicturum, neque contra te ali-
 quid vnquam dicturum aut facturum, ne-
 que

que permissurum vt à meis subditis aliquid contra tuum honorem vñquam agatur. Obsecro te igitur, suscipe me in seruum perpetuum, ad sis mihi in omnibus actionibus meis, nec me deferas in horâ mortis meæ. Amen.

Diarium, quod sibi Joannes in Nouitiatu collegit, ac seruandum conscripsit in Belgio.

POST Crucis signum, primò cum magno affectu Christum Dominum in cruce cruentum in brachijs meis fingam, & supra me B. Trinitatem: tum cogitabo, Deus Deus meus, ad te de luce vigilo: tum Deo Patri offeram Filium in gratiarum actionem pro omnibus beneficijs, & nominatim, quòd me hac nocte à peccato, morte subitanèa seruari, & iam iterùm concedat mihi gerere vestem Societatis: petam perseuerantiam per B. Virginem, Angelum, B. Patrem, Patronum menstruum, & omnes Sanctos, &c. in fine Pater, Aue, tria oscula terræ, Credo, Anima Christi.

Ante opus. Intentio. O Deus meus, & omnia, cui omnes creaturæ seruiunt, gratias ago diuinæ bonitati tuæ, quòd me vsque in hanc horam conseruare dignatus sis; & propono
per

per gratiam tuam hoc opus, & omnes reli-
 quas huius diei & totius vitæ actiones facere
 ad nominis solius tui gloriam, vt tibi maximè
 placeam, & B. Virginem, Patronosque meos,
 Angelumque Custodem lætificem, & nomi-
 natim illum quem hodie colo: & protestor
 me nullam præter hanc ab hostibus sugge-
 stam admittere tentationem.

Post opus. O beata Trinitas, offero diuinæ
 Maiestati tuæ hoc opus, vltimum fortè co-
 ram curiâ tuâ, nunc cum lacrymis Christi,
 nunc cum doloribus, nunc cum vulnere
 dexteri lateris, nunc cum vinculis, nunc cum
 meritis B. Virginis, cum sanguine Martyrum
 nostræ Societatis, cum charitate, laudibus
 Angelorum. Meditatio secundum Additio-
 nes B. Patris nostri. Ante exhortationem, vel
 lectionē spiritualem. Pura intentio, & sequens
 oratio: Aperi Domine aures & oculos, &c.
 Post eam: Cōfirma hoc Deus quod operatus
 es in nobis, scio hanc esse voluntatem tuam.

Recollectio horaria. O crux, &c. tu aue. O
 bone I E S V, tu pro me flagellatus es, quid re-
 tribuam tibi pro tantis doloribus? Fecine
 mea purâ intentione, in præsentia Dei, & fre-
 quenter? De examine particulari. Ignosce
 Domine, & adiuua me, vt meliùs sequentem
 horam possim transigere: quod faciam sic &
 sic. Examen ad pullum. Quis stabit. Ne in-
 tres,

tres, &c. In loco. Coram Deo me statuam, Angelo & diabolo, iudicandum quasi, &c. Reliqua more solito. Post examē proponam primò, Diarium seruare, puram intentionem, præsentiam Dei, & proposita meditationis. Ad mensam, Primò, Intentio, attentio in benedictione, & gratijs, & obseruatio Regularum de victù B. Patris. Recreatio. Primò, Pura intentio, propositum loquendi in præsentia Dei de pijs rebus. Pòst, Petitio veniæ de defectibus, & oblatio.

Modus incumbendi post examen. Dispositio meditationis breuis, tum flexis genibus recitare catalogum beneficiorum, cum Symbolo, formulâ votorum. Exuendo me, honestas seruanda, cum consideratione breui detraharum vestium ante crucem. Aperiendo lectum, & ascendendo. En vitæ incertus, & æternæ salutis, intro sepulchrum. Utinam te numquam offendissem! Doleo ex animo Redemptor mi, & propono sinceram emendationem. O Pater æterne, offero tibi Filium tuum cum omnibus doloribus & vulneribus eius pro omnibus peccatis & negligentijs meis. O Beata Virgo adiuua me, ô vos omnes sancti Patroni, suscipite me. Angele mi, custodi me ab omni peccato & insidijs diaboli, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Tum per Aue de horâ surgendi cogitabo,

bo, obdormiam autem in cōsideratione meditationis. Communio. Cōpositio loci. Statue te cum omnibus Patronis, Angelis, &c. in monte Caluariæ, & vide Christum Dominum baiulantem crucem suam sanguineam, &c. & à Iudeis impelli. Supra te Deum Patrem iratum considera vsque ad eleuationem, quid ibi agatur. Deponit crucem, offertur myrrha ad bibendum, detrahuntur vestes, aptantur instrumenta, in crucem conicitur nudus, dexteram porrigit, obediens torcoribus, tum sinistram, & pedes terebrandos, & perforandos clavis. Aspice Christum tollentem oculos, offerre se Deo Patri pro peccatis tuis, & alloquere magno cum affectu vsque ad eleuationem. In eleuatione vide eleuari crucem, & Christum pro inimicis orantem audi: quod (vt ipse Ioannes fassus) in eleuatione obseruabat semper. Tum vide quomodo ex toto corpore sanguis fluat, & vulnera aspice. Ad caput ora pro Superioribus Ecclesiasticis, & sæcularibus: per coronam, per dexteram, pro parentibus, fratribus spiritualibus in genere, & particulari, pro corporalibus, & benefactoribus, & amicis: ad sinistram pro inimicis, & quos ego, vel qui me contristauerunt, iniurijs affecerunt, vel Societatem. Ad latus, pro me ipso primò, vt possim Deum ex toto corde diligere: secundò, vt

ardere possim zelo salutis proximi: tertio, vt
perseuerare in Societate possim: quarto, vt tria
vota benè obseruare: quinto, vt magnum ge-
ram affectum erga B. Virginem, & venerabile
Sacramentum. Ad pedes pro Societate, &
omnibus religiosis bonis & malis, & pro sæ-
cularibus bonis & malis. In Communione,
vide quomodo B. Virgo cum Angelis & Pa-
tronis tuis deferat Christum ad te ad sepe-
liendum in corde tuo, & magnâ cum humi-
litate & charitate eum suscipe; tum fidem
excita, gratias age, offer hospitem, & hospiti,
pete, propone.

Alius modus à natiuitate sumptus.

Egrediente Sacerdote, cogita egredi
B. Virginem à Nazareth in Bethleem cum
sancto Iosepho, & comitare per iter difficile
vsque ad Euangelij recitationem. Ad Credo
fidem excita de I E S V. Ad Offertorium vide
B. Virginem mendicantem hospitium: ob-
stupesce, & cor tuum offer. Vide postea quo
modo diuertat in stabulum cum gaudio: vide
Angelos exspectantes eum. In eleuatione
aspice natum quasi puerulum I E S V M: ado-
ra, fidei, spei, & charitatis actu: mirare sum-
mam eius paupertatem, vsque ad Commu-
nionem: statue te ad Præsepe cum B. Virgine,
& ab eâ veniam pete, ponendi Iesulum in
lectulo

lectulo cordis tui, tum apprehende illum, amplectere magno cum affectu, offer Deo Patri, gratias age, pete, & tene eum, Domine non dimittam te, nisi dederis mihi hoc & hoc.

Inter vescendum imaginare quasi videas Christum Dominum vescentem cum suis discipulis, obseruando quem modum teneat, & imitare: vel cogita fel Christi, vel te habere Christum recens natum in corde tuo, ibique petere lac à te, educa illum, relinquendo illi optima.

*Alia quedam ab eodem Ioanne Berchmanno
Romæ conscripta.*

Incitamenta ad orandum.

MOTIVVM primum: Si benè facio orationem meam, non erit vllum periculum amittendæ vocationis meæ; omnis enim apostasia à Societate hinc sumit initium.

Secundum: Maxima sollicitudo Societatis de oratione: ideò enim datur quadrans vesperi, visitantur omnes, &c.

Tertium: Qui benè facit orationem, habebit cælum hîc propter abundantiam consolationum, & postea.

Quia autem oratio pendet vel maximè à modo manè surgendi, ideò priùs hîc traden-

da videtur ratio benè transfigendi mediam illam horam, quæ præcedit orationem, qui modus erit præparatio ad illam.

Modus benè transfigendi mediam primam horam matutinam.

Ad pulsum cogitabo me vocari à Deo, & muniens me signo sanctæ Crucis, dicam, *Domine quid me vis facere? paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Tum exclusâ omni aliâ cogitatione percurram puncta meditationis, & simul aliquam similitudinem, quæ faciat ad meditationem tuam, eo modo quo B. P. IGNATIVS docet faciendum in Additionibus pro primo & secundo exercitio primæ hebdomadæ. Similitudo communis ad omnem meditationem esse poterit hæc, considerare Christum in folio sedere, circumstantibus Patronis tuis eo modo, quo solet Summus Pontifex, cum celebrat solemniter, & excita te ad reuerentiam & deuotionem, vel excita aliquem affectum.

Hoc solum adde, quando accipis sotanam, antequam induas illam, osculare eam, gaudendo in animo tuo, quod adhuc hodie Christi insignia gestare possis. statim vbi descendero, lectus operiendus.

Cum eris vestitus, flectes genua, & facto signo

figno Crucis, gratias ages Angelo tuo Custodi, & Patrono præcedentis diei, verbi gratiâ S. IGNATIO, pro custodiâ tui die præcedenti, & præcipuè hac nocte, petendo ab illis, vt toto reliquo vitæ tuæ tempore, & præsertim in horâ mortis adesse velint.

Deinde eliges tibi Patronum præsentis diei, verbi gratiâ S. Franciscum Xauerium: & cum petieris ab illo, vt idem dignetur facere quod alter Patronus, offeres per manus illius has Preces vt primitias istius diei: primò, Symbolum Apostolorum, protestando te velle esse verum filium sanctæ Catholicæ Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ: secundò, Orationem Sodalitatis, protestando te velle esse verum filium B. Virginis: tertio, formulam Votorum, protestando te velle esse verum filium Societatis.

Deinde proponam hæc tria: primò, quidquid hodie cogitaturus, dicturus, facturus sum, erit purè ad gloriam Dei, in gratiarum actionem pro beneficio Communionis; vel si media pars hebdomadæ elapsa sit, vt benè possim communicare; & demum, vt possim impetrare, verbi gratiâ, verum affectum erga B. Virginem, & veram internam humilitatem, & vniam cum cogitationibus, verbis, & actionibus Christi Domini: secundò proponam attendere virtuti, vel vitio examinis par-

ricularis: tertio, nullum per Dei gratiam facere peccatum veniale ex intentione, aut minimam transgressurum Regulam, vel ordinationem: quarto, viuere & mori in Societate. Reliquo ante orationem tempore componam omnia mea in cubiculo, primo lectum, deinde reliqua, purgandum caput, & vestes, &c. Inter componendum ordinabo totam meditationem meam. Primo faciam hoc, deinde faciam illud, &c. & si tempus suppetat, faciam aliquas aspirationes, verbi gratia, *Domine doce me orare. Domine, in meditatione mea exardescat ignis. Domine, aperi labia cordis mei, & cor meum annuntiabit laudem tuam.* Immediatè ante orationem cogitabo quò sim iturus, nempe ad Deum; quid facturus, nempe cum illo locuturus.

Meditatio.

ACCIPE aquam lustralem. Ad pulsum fac signum sanctæ Crucis, dista à loco orationis vno vel gemino passu, & per spatium Orationis Dominicæ eleuato animo cogita Christum præsentem, & spectantem. exhibe illi cum humili gestu reuerentiam, accede ad locum, & genuflexus pete, vt omnes vires & operationes tuæ tendant sincerè ad cultum eius, & gloriam. Tum tria præludia,
narra-

narratio historiarum, compositio loci, & petitio gratiarum, vel certè duo; tum exercitium memoriarum, intellectus, & maximè voluntatis; tum colloquium, in quo maior reuerentia requiritur, quàm in discursu. Demum Pater noster, ac deinde cum reuerentiâ vsque ad terram, surgendum. Post orationem, breuis flexio, si benè, gratiarum agenda; si malè successit, cum pœnitentia causarum inquirenda. Vltimò notanda, primò successus, secundò propositum, tertio motuum.

Missæ Sacrificium.

INTER eundem cogita quòd eas, nempe ad Deum; & quid facturum, nempe oblaturum Filium suum. In loco, pete gratiam, renouationem manè factam, nempe ad gloriam Dei; in gratiarum actionem pro Communionem, vel præparationem ad illam, & vt impetres hoc, vel illud. Vni demum hoc Sacrificium inuentum cum illo inueniente in arâ Crucis oblato, & actionem illam tuam cum ipso Sacrificio. Ab initio vsque ad oblationem attende verba, ad illud quod agitur. Ab oblatione, incipiam percurrere passionem Christi, inchoando ab oratione in hortu, ita vt dum dicitur *Sanctus*, eò peruenerim, vbi Christus prosternens se in Cruce, à tortoribus

ribus clavis illi affigitur. Hic animo ad Deum Patrem eleuato, inuitabo illum, *Aspice Domine in faciem Christi tui*, & per caput eius spinis coronatum, orabo primò pro Summo Pontifice, Imperatore, Regibus, Principibus Christianis, & petam det illis gratiam bene gubernandi, & defendendi Ecclesiam suam: secundò per idem caput pro R. P. N. Generali, Prouinciali, Rectore, Ministro, Patre spirituali, Præceptoribus, &c. Per manum dexteram pro amicis carnalibus, det illis gratiam obseruandi præcepta sua, tum pro spiritualibus, commendando primò omnes qui in eodem Collegio mecum habitant, & pro quibusuis nominatim, petendo pro illis hæc tria: primò, Angelicam castitatem, &c. secundò, sint bonum instrumentum Societatis: tertio, perseverantiam in vocatione. Per manum sinistram pro omnibus inimicis meis, hæreticis, gentilibus, & existentibus in peccato mortali. Per pedem dexterum pro omnibus illis, qui liberiùs & dissolutiùs viuunt in Societate, vt eorum imperfectiones non impediunt fructum Societatis. Per pedem sinistram pro omnibus apostatis factis, vt illorum Deus dignetur misereri. Ad eleuationem imaginabor mihi verã in Cruce cruentati corporis eleuationem, & dicam: *Adoro te Christe, & benedico tibi, quia per sanctam Cru-*

Crucem tuam redemisti mundum. Et ulterius,
Anima Christi. Ad *Nobis quoque peccatoribus,*
 cogitabo de *Vulnere lateris,* & statim petam
 à Christo, vt dignetur in illo abscondere So-
 cietatem suam, & vt illam conseruet, defen-
 dat, & augeat; secundò, commendabo defun-
 ctos parentes, & amicos meos carnales, de-
 functos Societatis, & illos defunctos, pro qui-
 bus pauci orant, & qui precibus maximè in-
 digent: tertio, vt me in illo abscondat, & det
 mihi veram charitatem, lætitiã spiritua-
 lem, sanctitatem, doctrinam (si sit maior glo-
 ria eius) Angelicam castitatem, faciat me bo-
 num ministrum Societatis; & perseueran-
 tiam in vocatione, affectum erga B. Virgi-
 nem, & virtutem examinis particularis; verbi
 gratiã, charitatem, vel veram internam hu-
 militatem. Communicabo spiritualiter, &
 reliquo tempore attende ad verba Sacerdo-
 tis, & cum illo gratias age. Post Sacrum pri-
 mò dole, secundò gratias age, tertio vni actio-
 nem tuam cum Sacrificio. Dic *Magnificat*
 pro indulgentiã omnium defectuum.

Communio.

INTER eundem cogitabo quid sim factu-
 rus, nempe sumpturus verè carnem & san-
 guinem Filij Dei, & filij beatæ Virginis. Inui-
 tabo

tabo Aduocatos meos, vt præparent illi cor meum. In loco pete gratiam, renoua intentionem manè factam. Tum paululùm cogita misérias, peccata, & imperfectiones tuas: dole primò de omni peccato commisso, & propone sinceram emendationem. Ab oblatione vsque ad *Sanctus*, recitabo aliquam orationem vocalem deuotam. tum vsque ad eleuationem percurram totam passionem Christi. Sub eleuatione cogitabo eundem illum Christum de cælo in altare descendere; idque vt paulò post animam meam ingreditur, adorabo illum, recitando, *Tu Rex glorie Christe*, cum sancto Thòmâ, vsque ad *Saluum fac*, &c. Tum persistam in actibus fidei & charitatis, vsque ad Pater noster. Hic incipiam aspirare ad Christum, dicendo: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris mee?* &c. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontem aquarum*, &c. *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum*, &c. *Veniat dilectus meus in hortum suum*, &c. Offeram hæc desideria Christo per B. Virginem, & cogitabo illum respondere: *Ego veniam, & curabo eum.* & dicam humiliter: *Domine non sum dignus*, &c. *In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Corpus Domini nostri IESU CHRISTI custodiat animam meam in vitam eternam. Amen.* Statim ac recepisti, elice actum fidei, nimi-

nimirum credere te, hoc quod habes, esse verè Filium Dei, & B. Virginis; tum cum omni humilitate quæras ab illo: *Vnde hoc mihi, vt Dominus meus veniat ad me?* Gratias agam per breuem orationem vocalem, & petam vt idem Patroni mei faciant: tum offeram illi corpus & animam meam, aliquod munusculum in particulari, verbi gratiâ, mortificationis; tum vota mea, illa renouando; demum firmum propositum seruiendi Matri eius B. Virgini, & dicam Orationem Sodalitatis. Deinde conuertam me ad Deum Patrem, petens aspiciat in faciem Christi sui, & per sacra Vulnera eius petam, vt suprâ, omnia. Finiam rursus gratias agendo, & veniam petendo, quòd tam male illum tractarim, dicam, *Laudate Dominum omnes gentes, &c.*

Confessio.

ANTE Confessionem. Post signum sanctæ Crucis, conuertam me ad B. Virginem, flagitando eius apud Filium intercessionem, & gratiæ impetrationem, vt crimina mea cognoscam, & detester, & internam eorum cognitionem & detestationem sentire possim; tum ad Filium, vt idem mihi impetret à Deo Patre: demum conuertam me ad Patrem, vt idem mihi liberaliter largiatur; postea

postea subdam examen, dein dolorem, quem procurabo purum, intensum, & Deo iuuante vniuersalem de omnibus peccatis, adiungam propositum emendationis.

In Confessione, seruabo modum communem Societatis.

Post Confessionem, primò, gratias agam: secundò, statim pœnitentiam implebo: tertio, renouabo propositum emendationis: quartò, inuitabo Christum aliquâ aspiratione, verbi gratiâ, *Veniat dilectus meus in hortum suum.* Vel dic Orationem: *Sit tibi Domine, obsecro, precibus & meritis beatae Mariae semper Virginis, & omnium Sanctorum grata & accepta ista confessio mea: & quidquid mihi defuit nunc & aliàs de puritate & integritate confessionis, suppleat pietas & misericordia tua, & secundùm illam digneris me habere plenius & perfectius absolutum in calo. Qui viuus & regnas in secula seculorum. Amen.*

Quadrans post examen vesperi.

IMMEDIATE post examen, offeram omnes cogitationes, verba, & opera mea Deo, per Patronum illius dici, in vnione cogitationum, verborum, & operum Christi: secundò, dicam Credo, Orationem Sodalitatis, & Formulam Votorum, protestando, vt supra, me

me velle viuere & mori verum filium Eccle-
siæ, B. Virginis, & Societatis IESV: tertio asper-
ge lectum lustrali.

Inter exuendum, disponam de modo,
quo mihi postridie surgendum erit & medi-
tandum.

Super, vel ante lectum, flecte genua, dic ter
Aue, primum B. Virgini Lauretanæ, ad hono-
rem maternitatis eius, petendo, vt liberet te
istâ nocte ab omnibus malis somnijs: secun-
dò, B. Virgini Aspricollis, ad honorem Im-
maculatæ conceptionis ipsius, vt te statim
faciat dormire, & cum diligentia surgere:
tertium, B. Virgini Hallensi, ad honorem
illius instantis, (de instanti etiam superiori-
bus adde) in quo post mortem suam vnita
fuit Filio suo, petendo felicem successum
orationis postridie faciendæ, & lætitiã spi-
ritualem.

Dum lectum ingrederis, renoua intentio-
nem puram, & vni cum quiete Christi. De-
mum benè cogita, primum de horâ quâ sur-
gendum erit; secundò percurte puncta me-
ditationis, & quiesce in Domino, & sub cer-
uice pone Regulas.

Modus pro reliquis actionibus.

ANTE. Primò petam gratiam; secundò
renouabo intentionem, nempe me hoc
facere

V I T A
facere purè ad gloriam Dei, in gratiarum
actionem, vel præparationem ad Commu-
nionem, & vt impetrem, verbi gratià, sine-
rum affectum erga B. Virginem, & veram in-
ternam humilitatem.

Tertiò, vni cum simili actione Christi.
Postremò, dole de malo, gratias age de
bono.

De emendatione vitæ.

*Ad extirpandas radices peccatorum
in communi.*

MOTIVA: Primum, Si non procedam
ad radices, semper discam, & num-
quam ad scientiam perueniam.

Secundum, Si non procedam ad radices,
semper ero in actu primo, & dispositione
proximâ ad peccatum, primò veniale, dein-
de mortale.

Tertium, Festina eas euellere, cum adhuc
teneræ sunt: si enim nimum confirmetur,
postea, cum voles id facere, non poteris.

Remedia. Primum, examen particulare
diligens; secundum, oratio feruens; tertium,
mortificatio assidua.

SVPER-

S V P E R B I A.

Initium omnis peccati superbia est.

Motiva ad tollendum superbiam.

PRIMUM, Christus in cruce dicens ad me: Disce à me tu, qui præ tendis esse è Societate mea, quia mitis sum, & humilis corde.

Secundum, si superbiam intus foues, mendax es: vestes enim tuæ, te dicunt esse socium IESV, cum tamen interiùs verè sis socius diaboli.

Tertium, extirpanda mihi superbia est, si MARIAM adeò humilem Christi ancillam opto habere matrem.

Remedia. Primum: eligam mihi Patronam, quæ in virtute contrariâ mirè excelsit, hæc erit mihi beatissima Virgo MARIA.

Secundum: attendam sedulo cognitioni meipsius, quid fuerim, nempe nihil; quid sim, nempe apostema mundi, quid ero, nempe cadaver putidissimum.

Tertium: apud Superiores meos, & Patres spirituales esse conabor candidus totus, & sincerus, & velut aqua purissima.

Pro humilitate contra superbiam.

STATVO toto hoc anno sequenti M. DC. XX. per Dei gratiam incumbere humilitati:

Q 2

primò

primò vt ordinatè procedam in ædificandâ domo sanctitatis, incipiendo à fundamento; secundò, quia si non sum humilis, inutilis sum Societati; tertio, quia nihil arduum humilibus, nihil asperum mitibus.

Statuo eò dirigere præcipuè omnes orationes meas, desideria, actiones, & examina particularia.

Primum examen particulare, primis quindecim diebus, attendens, quòd si oculus meus, id est intentio mea fuerit pura, totum corpus meum lucidum erit. Materia examinis sit nihil facere vt videaris ab hominibus, & quotidie facere duos actus humilitatis, manè vnum, vesperi alium.

Secundum examen. Nil relinquere ob homines, & vanos respectus, & quotidie facere quatuor actus humilitatis, manè duos, vesperi duos.

De reliquis punctis, quæ hîc adscribam, dispones absolutis his duobus examinibus, attendens, in quo maximè deficias & pericliteris; solùm aduerte, addendos tibi esse singulis diebus duos humilitatis actus.

Cogitationes, quæ faciant me altè sentire de meipso, statim rescindere; quia sic applicatur immediatè securis radici ipsius superbiæ, quæ est æstimatio propria.

Nihil dicere, quod in laudem tuam redundare

dare possit, nisi obedientia aliud exigat, quia sic subtrahes pabulum vanæ gloriæ.

Quod potes facere in cubiculo, non facias extra, ob eandem rationem.

Cùm laudaris, intra te confundi, quòd talis habearis ab alijs, qualis non es, ob eandem rationem.

Cùm alius laudatur, pellere ex animo omnem displicentiam ex inuidiâ ortam, & excitare gaudium: quia hac ratione facilè te omnibus postpones.

Optare & procurare potiores partes alijs deferre, & practicè omnes habere pro Superioribus, conuersando cum illis cum tali respectu humilitatis, &c. quia hoc iubet sanctus Pater IGNATIVS. Nulli te præferre, & de omnibus alta sentire. Quia etiam si frater tuus modò tibi videatur imperfectus, quid scis an à Deo ille electus sit in Martyrem, &c.

Abhorrere, quantum est ex te, gratias gratis datas, vt facere miracula, &c. quia sæpè per illas homo exponitur periculo æternæ damnationis.

Humiliationem acceptare primò, patienter, quia sic auges coronam: secundò, cum promptitudine, quia sic imitaris Christum dicentem in horto, *Surgite, eamus*: tertio, cum gaudio, quia sic habebis paradisum in terris.

Q 3

Opta-

Optare, vt vilis habearis, & si hoc tibi non succedat, ex animo contristare, quia si es pretiosus in oculis Dei.

Actionum emendatio in communi.

MOTIVVM primum: Præceptum Domini est, *Estote perfecti, sicut Pater vester celestis perfectus est*; sicut ergo Deus omnia quæ facit, benè facit, ita debeo & ego.

Secundum, nescis an ista actio tibi futura sit vltima, fac ergo eo modo, quo voles à te factam fuisse vltimam.

Tertium, quælibet actio benè facta, est quasi mel in ore Dei, gratissima eius palato, vel quasi pulchra repræsentatio, quæ mirè illi placet. Noli, anima mea, amantissimum parentem tuum illâ recreatione fraudare.

Remedia. Primum, præsentia Dei in omnibus: secundum, determinare mihi modum faciendi omnes actiones meas, in particulari, curare vt approbentur à Patre meo spirituali, & deinde per examen particulare curare illius obseruationem: tertium, procurare omni studio, vt matutina oratio benè tibi succedat.

Examen

*Examen particulare de Charitate
proximi.*

1. **P**ATIENTER sufferre defectus fratrum,
& facere vnum actum charitatis.
2. Neminem iudicare, & facere duos actus
charitatis.
3. De omnibus benè sentire, & facere tres
actus charitatis.
4. Compati alijs, & facere quatuor actus
charitatis.
5. Congaudere, & congratulari, quando
alijs res benè succedunt, & facere quinque
actus charitatis.
6. Ero benignus, & obsequiosus, & omni-
bus benefaciēs, & facere sex actus charitatis.
7. Semper excusare fratres in animo meo,
& apud alios, & facere septem actus cha-
ritatis.
8. Bona & placida verba dare, & facere
octo actus charitatis.

Bonus Scholasticus Societatis I E S V.

In ordine ad Deum.

CIRCA Schol. præter gloriam Dei, &
animarum fructum nihil intendat; se-
cundò, si deuotus & addictus orationi; gra-
tiam

Q4

tiam proficiendi sæpè petat: tertio, solidarum virtutum, & religiosæ vitæ amore flagret: quarto, examen particulare & generale diligenter excerceat, Sacro quotidie deuotissime intersit, & deuotè octauo quoque die communicet; hæc enim tria vehementer cordi habuisse S. P. nostrum I G N A T I V M dum Parisijs studeret, tradit Maffæus lib. 1. cap. 19.

In ordine ad studia.

1. Persuadeat sibi, quòd studere secundum mentem Societatis, sit res magni meriti.
2. Quoad genus studiorum & Præceptores sit indifferens.
3. Serio & constanter animum ad studia adijciat.
4. Seruet præscriptam diuisionem temporis diligenter.
5. Nullis vtatur libris, præterquam à Præceptore præscriptis.
6. In audiendis lectionibus sit assiduus, diligens in præuidendis & repetendis, & tam in domesticis quàm externis disputationibus & repetitionibus, modestiæ & doctrinæ specimen præbeat.
7. Vbique sit memor modestiæ & grauitatis religiosæ.
8. Scripta domi relegat, intelligat, intellecta

lecta examinet, obijciendo sibi & soluendo; sique nequit soluere, notet.

9. Quæ notatu digna in lectionibus, in scripta referet, postmodum cum otio in alium librum transferenda.

10. Ultra duas horas non continuet lectionem aut scriptionem, quin parumper interrumpat.

11. Quod à Magistro præscriptum fuerit, memoriæ mandet, stylumque diligenter exerceat.

In ordine ad alias.

Primò Latinè loquatur: secundò, si externis scholasticis loquendum, cum facultate, nonnisi de litteris, vel ad spiritum pertinentibus: tertio, memor sit in omnibus denique se filium esse adeò bonæ matris Societatis IESV.

Quædam placita & decreta moralia, quæ sibi conscripsit Ioannes ultimo anno vite sue.

1. **N**ULLA res mihi magis vitanda, quàm Notium, & tristitia, & familiaritates.
2. Non sum securus, nisi habeam verum & filialem affectum erga B. Virginem.
3. Tamdiu ero verus filius Societatis, quam-

Q 5

quam-

quamdiu ero cādidus & apert^o Superioribus.

4. Non facile petam facultatem generalem pro aliquâ re.

5. Viuam in dies & horas, nihil sollicitus de crastino.

6. Profitebor me hominem spiritualement & deuotum.

7. Nolo vmquam cogitare quid de me futurum sit, sed Deo me totum credere, & confidere.

8. Quidquid affert inquietudinem, est à diabolo.

9. Non dependere, aut inniti vlli, nec præceptori, &c. sed soli Deo, & meis Superioribus.

10. Illud quod possum facere hac horâ, non differam ad aliam horam.

11. Multum confidam in gratiâ meæ vocationis.

12. Pro paruis defectibus magnas facere pœnitentias.

13. Nisi ego sanctus euadam intereâ dum sum iuuenis, numquam ero sanctus.

14. Maximi facere minima.

15. Nolle, vt Superior, quando aliquid imperat, vllam reddat rationem.

16. Sequi in omnibus communitatem, & maximè odisse singularitates.

17. In omnibus ero mundo contrarius.

18. Du-

18. Ducam maius esse momentum in rebus spiritualibus & virtutibus, quàm in doctrinâ vel alijs donis naturalibus & humanis.

19. Qui plus laborat, minus laborat.

20. Odisse vt pestem dispensationem in Regulis.

21. Si non habeo habitum orationis, non viuam in Societate cum pace.

22. Multum facere, parum loqui.

23. Attende tibi; de alijs quid agatur quid ad te?

24. Non erubescere facere omnia illa, quae doctus es in Nouitiatu.

25. Talis & tantus es, qualis & quantus es apud Deum, non apud homines.

26. Ita ero zelofus honoris Societatis IESV, sicut ambitiosus verus honoris proprij.

27. Si vis esse filius B. Virginis & Societatis, zelator esto castitatis tuæ.

28. Interea dum ero studiosus Societatis, amabo & incolam cubiculum quantum possibile est.

29. Si tibi est cordi honor Societatis, sit tibi cordi modestia, & in recreatione loqui de rebus spiritualibus.

30. Sit tibi dulce pro amaro, & amarum dulce.

31. Sit tibi curæ Deus, & Deo erit cura de te.

32. Vide

32. Vide ne ob negligentiam tuam Deus tibi auferat teneritudinem animi, & permittat te insensibilem.

33. Quod tibi displicet in alijs, numquam facias, sed quod placet.

34. Vide ne vlli vnquam è Superioribus tuis sis grauis, & nulli in Societate molestus, sed potius omnium sis recreatio.

35. Geram me in Societate, ac si essem mendicus, per gratiam admissus in Societatem, & omnia mihi cogitabo fieri ex merâ gratiâ.

36. Nihil prodest mihi vniuersum mundum lucrari, animæ verò meæ detrimentum pati.

37. Sis spiritualis auarus, & mercator.

38. Si hominibus placerem, Christi seruus non essem.

39. Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris.

40. Matrem præbe te erga alios, erga te ipsum iudicem.

41. Quid mihi prodest diu in Societate viuere, & ad illius finem non peruenire?

42. Non curabo aliorum dicta circa obseruationem Regularum, & propositorum.

43. Procedam semper licitè, non curando ista quæ vocant complimenta.

Miscel-

Miscellanea.

FACILIVS est loqui de rebus spiritualibus cum paucioribus, quàm cum multis.

Non est bonum semper agere cum iisdem, sed cum diuersis in recreatione.

Expertus sum, dare medium diem cum liberalitate rebus spiritualibus in die Communionis, & alijs Festis vnâ horam, & singulis mensibus vnum diem, nil detrahère studijs.

Contentus ero cibis communibus.

Numquam petam facultatem generalem dandi vel accipiendi.

Primis tribus diebus cuiusque mensis Regulas meditabor omnes.

Nihil tenere in cubiculo superfluum.

Magnam habere curam vestium meorum, & earum rerum quæ vsui meo destinantur.

Dabo me totum cultui B. Virginis.

Facito cum diligentia examen particulare.

Applicare me serio & constanter studijs.

Facere mihi familiares Regulas electionis B.P.N. pro obseruantia Regulæ Summarij.

Loqui Latine cum Præceptore, etiamsi ipse loquatur Italicè.

Non videre equirationes, nec nisi semel Processionem Corporis Domini.

Ad

Ad nomen beati Aloysij aperias caput.

In surgendo manè ero quàm diligentissimus.

Omnia Superioris mandata & voluntates scripto adnotabo, & exactissimè conabor obseruare.

De die, quantum fieri potest, non dormiam.

Affectum meum erga venerabile Sacramentum sedulò fouebo, & saltem quinques in die illud visitabo. Et singulis diebus Iouis ob id faciam aliquam in Refectorio pœnitentiam.

Diebus Sabbatinis lauabo scyphos in culinâ in honorem beatæ Virginis.

Quandocumque aliquid pœnitentiâ dignum commiserò, contra aliquam Regulam, toto tempore vitæ meæ humiliter illam petam.

Eligam certum minùs impeditum quouis mense diem, quo me tribus quatuorve meditationibus recolligam.

Ad Confessionem inter primos semper conabor adesse.

Singulis septimanis accedam ad Patrem Rectorem, & ei reddam rationem; primò, an seruauerim silentium; secundò, an locutus sim de rebus spiritualibus; tertio, an omnia mea seruauerim p̄posita.

Cauebo

Cauebo mihi sedulò à iudicando alios, aut aliorum rebus me immiscebo : si aliquid inexcusabile occurret, compatiar, me inspiciam, & de facto recitabo pro emendatione vel Aue, vel simile.

Valdè verecundè & humiliter in omni loco agam cum Fratribus.

Disrumpar potiùs, quàm vel minimam ordinationem, aut Regulam voluntariè transgrediar; potiùs amittere omnem sanitatem, quàm ob illam vllam Regulam prætergredi.

Potiùs mori, quàm pro sanitate vllam Regulam violare.

Professorum ero obseruantissimus.

Valdè lubentem me præbebo in concedendis dictatis, & similibus, & charitatem custodiam vt pupillam oculi.

In omnibus Superioribus meis Deum inuenire studebo.

Quàm maximè addictum me seruabo rebus spiritualibus, præsertim meditationi, examini, & lectioni spirituali.

Cogitandum mihi est, debere me etiam cum corpore meo alere Christum, scilicet mortificatione; itaque numquam à mensâ recedam, nisi me in aliquo mortificauero.

Viuere in dies & horas, sine sollicitudine de futuris contingentibus, committendo
mea

mea omnia prouidentia diuinæ, meisque Superioribus.

Non erubescere facere frequenter pœnitentias in Refectorio.

Non erubescere cum aliquid fregeris, verbi gratiâ vitrum, poculum, vel aliud quid feceris, petere pœnitentiam, & pœnitentias omnes petere genibus flexis, etiam si Sacerdos aut quicumque sis.

Non erubescere frequenter agere cum Patre spirituali, & cogita quòd ei nil potest accidere iucundius.

Non erubescere quærere quibuscum possum loqui de rebus spiritualibus, & frequenter me iungere fratribus Coadiutoribus.

Si Sacerdotes medio passu præcedere.

Si aliquis tecum sua confidenter volet communicare, fac vt sciat, te illa quæ dicit, Superiori dicturum, si ita videatur.

Conuersatio tepidorum vitanda, vt lipientium; aspectus mulieris vitandus sicut basiliscus.

Humiliter, & cum magnâ alacritate in omnibus quæ frater meus Sacrista præcipiet, obediam vt Christo.

Quando discedit à te Christus, ô anima mea, & desolaris, non turbetur cor tuum: veniet enim Dominus, & non tardabit. Oculi tui semper Christum prosequantur fugientem:

rem: & si ad delectationes mundi, aut carnis inclinaris, clama ad illum: *Domine, quò ibimus? verba vita eterna habes.*

O Domine, præter Communionem quid mihi dulce & iucundum sit, cum tu per eam clarificari deuotissimè rogaueris? Annuntiabo te fratribus meis bono & sancto conuersationis exemplo; & de omnibus benè sentiam.

Domine, sum palmes aridus in Societate tuâ, non abscindar à te vitè verâ, sed secundum misericordiam tuam influat in me succus gratiæ tuæ.

Domine, ego te toties in fratribus meis iudico peccatorem, &c. quale & quàm durum mihi iudicium expectandum est, qui tam durus tui sum Iudex?

Quid tibi, ô anima mea, prodest amari ab hominibus, si propter illum amorem amicitiam IESU perdas cum Pilato?

O Domine, quoties inspirationes tuas contempsi, neglexi, hominibus placere desiderans?

Christus Dominus, etiam si corpus suum nimis debile sciret, tamen crucem humeris suis excepit: tu anima mea obedientiæ mandata ob pusillanimitatem tuam non suscipies? Christum Simon iuuat, iuuabit te Christus ipse.

R. IESVS,

IESVS, mundus, diabolus, & caro mea quærunt me, & nemo, nisi velim, inueniet me: si diabolus, mundus, caro inueniant me, vt leones rugientes deuorabunt me, solus IESVS ditabit & saluabit inuentum me. Volo, IESV bone, volo vt inuenias & possideas me: nam si tu inuenis me, inueni ego te, & sufficit mihi.

Prudenter clamas Petre, *Recede à me Domine, quia homo peccator sum*, non enim recedit IESVS, nisi prius à IESV quis recesserit.

Bestiæ, vt finem suum consequantur, spontè contendunt, & tu, anima mea, tot tantisque incitamentis indiges?

Mouet me ista consideratio, ego in Societate seruus omnium esse debeo, non dominus, & ista debet esse gloriatio mea; quomodo enim velim esse dominus, cum Christus Dominus non venerit ministrari, sed ministrare; & beatissima Virgo MARIA sese esse gloriatur ancillam? Geram igitur me cum Fratribus meis omnibus, vt seruum decet, & vile mancipium.

Sicut accidens semper agit vt subordinatum, & applicatum à substantiâ; ita ego, respectu Superiorum meorum, & Superiores mei, respectu Dei.

Sicut non prodest habere virtutem actiuam, & non applicare passio; ita nec prodest habere

habere merita Christi, & mihi non applicare.

Quid tibi, ô anima, libet hæc dicere vel facere, quæ postmodum in cubiculo oportebit deflere?

Vis videre si amas vocationem tuam, vide an ames mortificationem tuam. Vocatio tua est, esse Socium IESU. Quomodo autem vis esse Socius IESU, nisi sis crucifixus cum IESU?

O bone IESU, quis deflectat à viâ, vbi tu es via? quis erret à viâ, vbi tu es lux & dux in viâ?

Omni studio curabò, & tuebor pacem, & lætitiã internam.

Attendam seriò, quid mihi agendum sit, & non quid agatur ab alijs.

Numquam ero otiosus.

Nulli, qui te liberiolem faciat, te credito; sed proficere cum omnibus te spiritualem & deuotum.

Salutare Patres, vt sanctos Confessores; Fratres, vt Angelos.

Attendere ad proprios defectus, non ad alienos, & te omnibus inferiolem reputare.

Fac habitum in excusandis alijs in visceribus charitatis.

Cedere alijs commodiora in omnibus, & fugere quæ sunt speciosa.

Non sis facilis in affirmando, & negando,

R 2 &

& responsio tua sit simplex, Est, est, Non, non: *Fratello si, fratello no.*

Quid vis videre, quod non licet habere?
A multis tentationibus liberat custodia oculorum, quæ est mater deuotionis.

Caue te ab excusando apud Superiores.

Non respicias bonum proprium, sed bonum commune & gloriam Dei.

In rebus agendis caue à spiritu contentionis & contradictionis: & quando aliquid faciendum est, vt laborandum in culinâ, libenter sequaris iudicium alterius; & idem sentias in rebus leuioribus.

Obluiscaris iniuriarum, quas tibi proximus fecit, sic enim S. Dorotheus docet.

Etiã in minimis rebus pete consilium.

Non designes aliquid de teipso, sed liberam tui dispositionem relinque Superioribus.

Optimum medium ad acquirendum dominium tui, & animi tranquillitatem, est abnegatio proprii iudicij, & propriæ voluntatis, quæ est propria filiorum Societatis, & à Christo requisita in sequentibus se: *Qui vult venire post me, abneget se.*

Abnegatio proprii iudicij est mortificatio illius actus intellectus, qui non est conformis Dei, & hominum sapientum iudicio.

Abnegatio propriæ voluntatis, est mortificare ita voluntatem tuam, vt nil interius
exte-

exteriorque velis ob explendam voluntatem tuam, sed in omnibus rebus exequaris voluntatem Dei, & Superiorum.

Pro aliquo beneficio ab homine accepto dicas ei, *Deo gratias, Dominus sit vel erit merces.*

Qui non æstimat orationem, non potest perdurare in viâ spirituali.

Tantum displicet oratio diabolo, vt omni studio eam impedire conetur.

Contemptus sui est via compendiosa ad perfectionem, & caussa magnæ quietis.

Quando occurrit mortificatio honoris, toto corde eam amplectere.

Obedientia consistit in vnione voluntatis humanæ cum diuinâ, & in executione eorum quæ Deus inspirat. Primus actus est, cognoscere inspirationes Dei: secundus, eas auscultare: tertius, proponere executionem: quartus, exequi.

Omnibus diebus Sabbatinis aliquid in recreatione loqui de beatâ Virgine, & Dominicis de venerabili Sacramento.

Quando vides aliquem è Societate alterius Collegij, reuerere illum vt Angelum.

Caue, ne id quod tibi displicet, in alijs, etiam in naturalibus, spuendo v.g. vmquam facias. Verbi gratiâ:

Tarditas & languor in motu, displicet.

Libertas in loquendo etiam de spiritualibus, displicet.

Contradictio frequens, displicet.

Nimis delicatè se habere, displicet.

Libertas in conuersando, displicet.

Modus conuersandi ironicus, displicet.

Ferre manus post tergum, displicet.

In plateâ retrò respicere & liberè, displicet.

Facilè mouere caput, displicet.

Cachinnari, clamare altâ voce, immoderatè ridere, displicet.

Loqui in Refectorio, in Ecclesiâ, in Sacristiâ, & temporibus vetitis, displicet.

Attende quæ tibi placent in alijs, & hæc facias, & imiteris.

Placet in Patre nostro Generali modestia, affabilitas, cordialitas, lætitia vultus, & quod sequitur in omnibus communitatem. In Patre Prouinciali studium litterarum: in Patre Rectore & Patre spirituali, semper sui similes; in Patre Præfecto studiorum reuerentia erga omnes; in Præceptore amor & gaudium de profectu studiorum discipulorum; in Patre N. patientia in morbo; in Patre N. silentium; in Patre N. modestia & verecundia, & recessus seu solitudo; in Patre N. zelus animarum, & indefatigabilitas; in Patre N. amor cellæ, & simplicitas; in Patre N. amor

amor Instituti ; in Patre N. amabilitas & affabilitas ; in Patre N. iucunditas cum spiritualitate ; in Patre N. quòd sit omnium seruus , hilarius , & laboriosus ; in Patre N. se omnibus socium præbere ; in fratre N. fuga otij ; in fratre N. supplere omnibus ; in N. viuacitas ; in N. mansuetudo & tractabilitas ; in N. nitor , mundities , & hospitalitas ; in N. sinceritas ; in N. suo tempore omnia ; in N. visitatio infirmorum ; in N. deuotio.

Lætitia exterior coniuncta cum obseruantia magnâ, placet.

Ante & post scholas visitare venerabile Sacramentum, placet.

In vineâ salutare B. Virginem, & visitare venerabile Sacellum B. P. N. I G N A T I I, placet.

Ne quidem herbæ folium in vineâ carpere, placet.

Facultatem facere socio cubiculi , vt in cubiculo sine respectu faciat quod vult, placet.

Permittere me regi ita ac si essem infans vnus diei, placet.

Facere ex corde, & cum totâ applicatione quæcumque facis, placet.

Omni studio aggredi illa omnia, quæ nouero ad finem meum vtilia fore, & in parti-

R 4 culari

culari seridè & constanter studijs animum applicare, placet.

Manus iunctas ante pectus, & numquam pendulas, placet.

Fac tibi familiare institutum, & tantò magis proficies, quantò magis illud amabis: nam exercitia ostendunt internum sancti Patris IGNATHI, Constitutiones idem in scripto, & vita eius in opere.

Sis vilis in oculis tuis, talis opta haberi: & si habearis, gaude, non contristare.

Nec bona nec mala dicas de te ipso, nisi ex obedientiâ.

Quoad exteriora, quod potes facere in cubiculo, non facias foris.

Abhorrere gratias illas gratis datas, vt facere miracula, &c.

Facere omnia tamquam si vltima forent.

Non elicere vniquam appetitum honoris.

Non confidere vniquam medijs quæ adhibes.

Omnis inquietudo ab amore proprio.

Pati, otium fugere.

Collo-

*Colloquia Spiritualia diei vineæ.**Aduocata MARIA.*

P R I M ò locus, solarium; secundo tempus, in die vacationis & vineæ, composito Sacello à prandio; tertio, personæ N. N. N. quartò materia, virtus, quæ plura vota; quinto, modus. primò, definitionem & regulam; secundo, actus practicos internos & externos; tertio, motiua; quartò, media vel exempla. Sextò, finis, accendere & inflammare primò nosipfos, & deinde alios.

*Humilitas.**Definitio.*

E ST animi inclinatio ad contemptum sui, orta ex cognitione sui, per quam homo Deo se subijcit, & hominibus propter Deum, seu ob aliquam bonitatem à Deo illis communicatam.

Actus.

1. Amare nesciri, & pro nihilo reputari, spernere sperni, cupere sperni, quærere sperni.
2. Subijcere se Deo, & hominibus cum magnâ promptitudine.

R 5

3. Nil

3. Nil vniquam facere aut dicere, vt propriam inde laudem referas.
4. Sufferre iniurias & verba dura.
5. Amare & gaudere, quòd defectus tui per alios alijs aperiantur.
6. In verbis ostendere humilitatem, & non excusare se.
7. Omnes meliores & superiores te ducere.

Motiva.

1. Christus talis fuit, & dixit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*
2. Beata Virgo talis fuit, & dixit: *Ecce ancilla Domini, &c. Et, Respexit humilitatem ancilla sua.*
3. Humilis omnia impetrat, & habet claves thesauri Dei. *Oratio humiliantis se, &c.*
4. Quantum se quis humiliat in terrâ, tantum gloriæ habebit in cælo.
5. Maximi honores & laudes, sunt vanitas.

Media.

1. Cognitio propriæ vilitatis & infirmitatis, & defectibilitatis in corpore, & in animâ.
2. Oratio feruens.
3. Humiliatio frequens.

Exem-

Exempla.

1. B. Franciscus Borgia abdicato Ducatu, se subscribebat *Franciscus peccator*: & cum socius ei quadam nocte in faciem exspueret, non aduertens, ipse nullum viliores locum suam facie reputabat.

2. Primarius quidam Alexandrinae ciuitatis, filiam obsessam habebat, Patres eremi ob humilitatem liberare eam nolunt: puella obsessa cuidam sancto Seni sportam ementi alapam infligit, ille aliam maxillam praebet, diabolus abscedit, & liberatur.

3. Cuidam iuueni sancto diabolus apparet, dicens, Ego sum Gabriel missus iam ad Ioannem, & ad Virginem. Respondet: Vide ne ad alium missus sis, nam ego dignus non sum ut Gabriel ad me veniat. Diabolus confusus fugit.

*Patientia.**Definitio.*

EST virtus, quam mala huius saeculi aequo animo sustinemus, ita ut propter illa non immoderate turbemur aut tristemur, ne aliquid minus honestum aut decorum admittamus.

Actus.

Actus.

1. Nullum exterius impatientiae signum dare.
2. Excludere à corde omnem perturbationem, displicentiam, tristitiam, & multò magis desiderium vindictæ, etiam minimum.
3. Omnia aduersa accipere de manu Domini.
4. Perferre omnia patienter, promptè, hilariter.

Motiva.

1. Christus adhortatur: *In patientiâ vestrà possidebitis animas vestras.*
2. Pax nostra debet esse in multâ patientiâ.
3. Patientia est corona omnium virtutum.
4. Per patientiam sumus admirabiles hominibus, eosque conuertimus.

Media.

Primò, Gratia Dei: secundò, Amor Dei: tertio, Spes præmij: quartò, Exemplum Christi: quintò, Cognitio propria: sextò, Assuetudo in patièdo.

Exempla.

1. Quidam Christianus ab infidelibus multis iniurijs appetitus, Quid, inquit, miraculosi

culosi fecit Christus tuus? Hoc, inquit, quod ego istas iniurias vestras æquo animo feram.

2. Quidam Monachus ab alio Monacho inuido orbatu oculò, patientiâ suâ illum conuertit. *Speculum Exemplorum.*

3. Quidam Eremicola, casu à venatoribus sagittâ percutitur, & sagittam extrahi non est passus, sed diu illam tenuit ob patientiæ exercitationem.

4. Mulier quædam plagam vermibus plenam patientissimè ferebat: audiuit hoc sanctus Dominicus, accedit ad illam, petit vnum ex vermibus, nolebat dare: tandem conditione vt restitueret, dedit, acceptum dum manu tenet, in margaritam conuertitur, eum, nolente socio, eidem reddidit, & promissis stetit, & in vermem redijt. Et sic de alijs virtutibus.

Corona duodecim stellarum B. MARIAE Virginis.

Mulier amicta sole, & in capite eius corona stellarum duodecim.

FINIS huius piæ exercitationis est, concipere erga B. Virginem hyperduliam, siue reuerentiam, gratitudinem, spem; eam imitandi desiderium. Ter recitabitur Pater noster

noster

noster ad sanctissimam Trinitatem; duode-
cies Ave Maria ad beatissimam Virginem.

Prima Meditatio.

PRIMO itaque, recitato Pater, petetur à
Patre æterno reuerentia erga B. Virgi-
nem, omni honore dignissimam multas ob
causas, quæ sunt: prima, Electio, vt esset ma-
ter Dei: secunda, Desiderium Patriarcha-
rum, & oracula Prophetarum: tertia, Puri-
tas, ab omni peccati labe aliena: quarta, Or-
namenta virtutum omnium: quinta, Cumu-
lus gratiarum alijs omnibus à Deo conce-
sarum: sexta, Regina Angelorum & ho-
minum.

Secunda Meditatio.

De virtutibus beatæ Virginis erga Deum.

Prima, Fides.

PRIMÒ, dum Ave Maria recitatur, pe-
tetur à B. Virgine, vt impetret nobis Fi-
dem, quâ ipsa præcipuè enituit, Primò, cre-
dendo se virginem & matrem futuram, ita
& tu omnia poteris, &c. Secundò, plurimi
faciendo mysteria Fidei, quæ docuit etiam
Apostolos; ita tu plurimi facies eadem my-
steria Fidei. Tertiò, tempore passionis Do-
minicæ

minicæ omni ex parte stabilis & firma permanendo; ita & tu perseuerabis tentationum tempore.

Tertia Meditatio.

Secunda virtus, Spes.

AVE recitato, petemus Spem quâ beata Virgo maximè enituit, Primo, in sperandâ æternâ gloriâ, & quidquid à Filio petebat; tu eadem sperabis. Secundò, in se totam, cum summis premeretur angustijs, diuinæ prouidentix committendo; pende- bis & tu à diuinâ prouidentiâ. Tertiò, in longanimiter expectandâ gloriâ tantopere à se expetitâ; tu etiam longanimis Dei dona exspectabis.

Quarta Meditatio.

Tertia virtus, Charitas.

PETEMVS tertiò, Aue recitato, Charitatem quâ enituit. Primò, quia amauit, ab omni proprio commodo aliena: tu quæres maiorem Dei gloriam in omnibus. Secundò, feruens amore, & laboriosa, numquam cessans: tu numquam defatigaberis. Tertiò, ob amorem fortis, & constans iuxta crucem: tu amabis etiam tentatus. Quartò, liberalis, & se

& se totam cum Filio suo communicans: tu offeres te in holocaustum. Quintò, tota diuino amore æstuans, & languens: tu Deum ardentè amabis ex toto corde.

Quinta Meditatio.

Quarta virtus, Religio.

RECITATO Aue, petes Religionem, quæ in B. Virgine apparuit. Primò, in tractando Christi infantis corpore, illud vestiendo, nutriendo, educando, deuotè, reuerenter, diligenter, & familiari cum eodem iam grandiore, consuetudine: tu imitare in Communione. Secundò, in oratione & meditatione. *Maria conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo;* ita & tu in meditationibus. Tertiò, in cærimonijs legis, inuisendo Templum: tu fac similiter in visendis Templis. Quartò, plurimi faciendo verba à Filio prolata: & tu in concionibus quæ audies verba.

Sexta Meditatio.

Secundum Pater noster, ad Filium.

SECUNDO Pater recitato, petemus à Filio, qui spes nostra est, vt magnâ cum spe ad Virginem accurramus: quia primò Deum
ipsum

ipsum ad nos traxit: secundò, est aquæductus, per quem facile cælestem aquam in nostros hortos deriuabimus: tertio, Regina est ditissima & liberalissima.

Virtutes B. Virginis erga seipsam.

Septima Meditatio.

Quinta virtus, Humilitas.

POST recitationem Aue, petemus Humilitatem, quâ ipsa, salutata ab Angelo, desponsata à Patre æterno in matrem, electa à Filio, gratiâ plena à Spiritu sancto, se ancillam dixit. Disce tu laudatus humiliter de te sentire. Secundò, inuisit Elisabeth, illique seruiuit quasi mensibus tribus. Disce libens te in abiectis muneribus exercere. Tertio, mysterium Incarnationis celauit, & laudata, in Deum retulit laudationem, dicens: *Magnificat anima mea Dominum.* Disce res plausibiles abscondere, & bona Deo refer accepta. Quarto, seruiuit sancto Iosepho, ultimo loco sedebat; ideoque in ultimo loco nominatur in Actibus Apostolorum. Tu noli supereminere, super alios sedendo.

S

Octava

*Octava Meditatio.**Sexta virtus, Virginitas.*

RECITATO Aue, pete à beatâ Virgine Castitatem, ipsa enim prima omnium castitatem vouit. pete ergo, vt eam in te conferuet. Secundò, maximo illam zelo custodiu: *Quomodo fiet istud, &c.* ideò domi manebât, ideoque Hortus conclusus, & Porta clausa dicitur: pete externorum & internorum sensuum custodiam. Tertiò, impuras aliorum cogitationes suo aspectu pellebat: pete vt tuâ conuersatione castitatis amorem ingeneres in alijs.

*Nona Meditatio.**Septima virtus, Fortitudo.*

RECITATO Aue, petemus Fortitudinem, quâ beata Virgo enituit, Primò, in Christi Domini morte, vt te doceret in tribunalibus, & in diuino obsequio difficultates omnes superare. Secundò, in iniurijs à Iudæorum gente collatis: disce iniurias perferre. Tertiò, inferuendo Filio suo, omnibusque Christianis iuuandis: disce amare labores pro Dei gratiâ, & animarum salute.

Decima

*Decima Meditatio.**Octava virtus, Paupertas.*

AVE dicto, pete Paupertatem, quâ beata Virgo enituit, cum paritura Dei Filium in stabulum coacta fuit secedere: & tu paupertatis affectum experieris libenter. Secundo, cum se omni humanâ ope destitutam sensit, siue cum fugiendum in Ægyptum, siue cum filium suum morti traditum sequeretur: tu quoque, deficiente humano auxilio, innitaris diuino.

*Vndecima Meditatio.**Pater noster, ad Spiritum sanctum.*

RECITATO Pater, pete à Spiritu sancto gratum animum erga beatam Virginem, cui multum debebis; quia Primò cooperata est nostræ redemptioni, conformando, pariendo, lactando Filio Dei, eique feruendo. Secundò, vt mediatrix nostra, peccantes nos Deo reconciliando. Tertiò, quia vt castrorum acies ordinata, insidiantes dæmones fugat, aduersaque omnia à nobis perpellit. Quartò, vt mater amantissima nostris malis à Deo medelam impetrat.

*Virtutes B. Virginis erga proximum.**Duodecima Meditatio.**Nona virtus, Charitas fraterna.*

POST Aue petimus Charitatem quæ in eâ eluxit, Primò, in desiderandâ quærendâq; omnium hominum salute: imitaberis desiderium & studium alienæ salutis. Secundò, in adiuuandis alijs, vt S. Elifabetham, & sponfos in nuptijs Canæ, cum vinum non habebant: imitaberis promptitudinem, quoties feruendum erit aliorum commodis.

*Decimatertia Meditatio.**Decima virtus, Obedientia.*

AVE recitato, petimus à B. Virgine Obedientiam, quâ ipsa excelluit, cum describeretur vniuersus orbis, obediendo Imperatori Ethnico Mater Dei, vt doceret obedire Superioribus, non solum bonis, sed etiam dyscolis & malis. Secundò, in purificatione quærendâ post partum, cum illâ lege non esset adstricta; vt te doceret obedire legibus, quibus teneris. Tertiò, obediendo Iosepho sponso, siue fugiendum esset noctu in Ægyptum,

ptum, siue Nazareth redeundum, siue quid aliud agendum; vt te doceret obedientiam cæcam erga Superiores tuos. Quartò, curando, vt Filij sui præceptis alij obedirent, vt in nuptijs dixit ministris, *Quodcumque dixerit vobis, facite*; vt te doceret, laborandum etiam tibi esse, vt ab alijs obediatur Superiorum mandatis.

Decimaquarta Meditatio.

Vndecima virtus, Misericordia.

POST Aue, petimus à B. Virgine Misericordiam, & benignum animum, quo prædita ipsa fuit; quia Primò esurientes cælesti pane in Filio suo pavit, & eundem dedit infirmorum medicinã, pretium captiuorum, &c. Sic tu succurre miseris in rebus spiritualibus & corporalibus. Secundò, eorum miserendo, qui afflictionibus (quas ipsa, dum esset inter nos, experta est) agitantur; ita tu animo commouere in alienis necessitatibus & miserijs. Tertiò, accepta à Filio dona cælestia nobiscum liberalissimè communicauit: ita tu quæ gratis accepisti, da. Quartò, dicitur Mater misericordiæ, quia in cælo pro peccatoribus exorat: ita tu fac similiter in orationibus tuis.

*Decimaquinta Meditatio.**Duodecima virtus, Modestia.*

RECITATO Aue, petemus à beatâ Virgine Modestiam, quâ illa tum in conuersando tum in colloquendo fuit exornata. Primò, à sancto Dionysio Areopagitâ tanti habita fuit, vt visam beatam Virginem tamquam Deam adorasset, nisi fide prohibitus fuisset. Secundò, cum hominibus rarò, & de rebus tantùm necessarijs loquebatur; & cum Deo sæpissimè, orando & contemplando. Tertiò, nil temerè effundebat, singula verba expendebat; vt verissimè dictum sit à sancto Lucâ, quòd in corde suo omnia conferebat. Voces illius erant vtiles, vt in Incarnatione Verbi, in sanctificatione Ioannis Baptistæ, in nuptijs Canæ. Erant pudicæ, ad suam virginitatem conseruandam, *Quomodo fiet istud.* Humiles, *Ecce ancilla Domini,* &c. Humanæ & misericordes, in salutatione Elisabeth; & in nuptijs, *Vinum non habent.* Laudantes Deum, *Magnificat,* &c. His dotibus verborum B. Virginis consideratis, petes ab eadem, vt suis precibus eam tibi loquendi rationem impetret, quâ eius voces sanctissimas exprimas imitando.

Modus

*Modus recitandæ Salutationis Angelicæ, ex
secundo modo orandi B.P.N.IGNATII.**Prima pars, AVE MARIA.*

PRIMÒ, adora MARIAM, quæ interpretatur *Stella maris*; nam polare veluti sidus periculofam vitæ huius nauigationem, fi attentè infpicias, dirigit ad æternæ vitæ portum. *Illuminatrix*; nam virtutum fuarum exemplo, folis inftar, ad benè operandum prælucet. *Dominâ*; cuius in fupernâ curiâ auctoritas eft maxima. Secundò dole, primò, quia naufragus in hoc mari, fideris huius ductum non quæris: fecundò, quia in tenebris ignorantix mersus, illuminatricis huius radios non optas: tertio, quia indigens alieno patrociniò, fupremum huius Reginx, cui nec facultas, nec fcientia, nec voluntas tibi auxiliandi deeft, patrociniùm non defideras: quartò, fpera ab hac Dominâ auxiliùm ad expugnandos hoftes fpirituales; ab hac Illuminatrice lucem ad te Deumque cognofcendum; ab hac Stellâ maris curfum fecurum ad portum falutis: quinto, gratias age Deo & beatæ Virgini pro his beneficijs, MARIÆ nomine comprehenfis: fextò, pete à Deo, vt velit te duci ab hac Stellâ totius mundi; illumi-

nari ab hac Illuminatrice totius mundi, regi
ab hac Dominâ totius mundi.

Secunda pars, GRATIA PLENA.

Primò, adora beatam Virginem, & in illâ gratiæ diuinæ plenitudinem, cuius intellectus fidei lumine, voluntas charitatis ardore, memoria diuinorum beneficiorum recordatione, concupiscibilis temperantiâ, irascibilis quiete maximâ, oculi simplicitate columbinâ, aures attentione ad Dei vocem, lingua moderato sermone, gustatus sobrietate, tactus pudicitîâ, pedes diligentîâ, manus bonis operibus, conuersatio virtutum exemplis, & omnia denique plena sunt virtutibus, & donis Spiritus sancti. Secundò, dole paupertatem tuam, qui gratiam vel reijcis, vel permittis otari, quam ob causam miseris plenus, & totus inanis gratiâ. Tertio, spera MARIE precibus eam tibi, quæ decet, gratiæ plenitudinem esse concedendam. Quarto, gratias age Deo, qui MARIAM, tamquam vas cælesti plenum rore, exposuit, vt inde gratiam omnes haurirent. Quintò, pete à beatâ Virgine cælestis huius roris guttam, vt gratus & amicus Deo sis, stabilis & ditior in dies post acceptam gratiam.

Tertia

Tertia pars, DOMINVS TECVM.

Primò, adora beatam Virginem, quia Deo maximè est vnita, corpore in incarnatione, spiritu in intellectu rerum diuinarum cognitione illustrato, voluntate Deo maximè conformi. Secundò, dole, quia Dominus à te, vel lethali culpâ ereptus, tecum non fuit semper, vel quia à lethali culpâ immunis, Dominum (eius gratiâ cuncta faciens) præsentem non habueris. Tertiò, spera per beatam Virginem, quæ proxima Deo est, summam cum ipso vnionem. Quartò, gratias age beatæ Virgini, quòd Deum à nobis maximè remotum ad nos attraxit. Quintò, pete vt te absolutè charitatis glutine Deo vniat, eius sequendo voluntatem.

Quarta pars,

BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS.

Primò, adora beatam Virginem benedictam, primò, in sanctis cogitationibus cordis; secundò, in linguæ pijs verbis; tertio, in operibus ad diuinæ legis regulam consummatis; quartò, in animi demissione; quintò, in partu Redemptoris, à quo omnis benedictio in genus humanum deriuata, quibus benedictionibus Euzæ maledictiones destruxit, quæ præcesserunt primò, in eius cogitatâ defectione;

S s secun-

secundò, vocibus ad dæmonem perlatis; tertio, operibus diuino præcepto contrarijs; quartò, superbiâ Deo resistente; quintò, peccato ad posteros transmissio. Secundò, dole ob eas in quibus natus es maledictiones, primò spirituales, scilicet intelligentiam excæcatam, voluntatem distortam, appetitiones effrenas, sensus deprauatos: secundò corporales, scilicet morbos, egestatem, mortem. Tertio, spera te omnem à Deo benedictionem per beatam Virginem impetraturum. Quartò, gratias age, quòd in nos à Deo per beatam Virginem tamquam à capite per collum in corpus, multę benedictiones transfunduntur. Quintò, pete à beatâ Virgine, vt ab eius Filio iudicandus, audias cum electis, *Venite benedicti, &c.*

Quinta pars, ET BENEDICTVS FRVCTVS VENTRIS TVI IESVS.

Primò, adora beatam Virginem, quæ arbor est vitæ, & CHRISTVM IESVM arboris huius fructum, qui vita nostra est. Secundò, dole, quia animæ tuæ gustatui non est suavis fructus hic suauissimus, & dulciores tibi sunt terrenæ voluptates, quam cæleste hoc nectar. Tertio, spera à beatâ Virgine animæ tuæ fecunditatem, & à fructu ventris eius, fructus vitæ æternæ. Quartò, gratias age B. Virgini, quæ

quæ vera terra promissionis est, lacte & melle manans, pro fructu nobis producto. Quintò, pete fructum spiritualium, copiam & feracitatem longè maiorem.

Sexta pars, SANCTA MARIA MATER DEI.

Primò, adora in B. Virgine supernam hanc diuinæ Matris dignitatem. Secundò, pudeat te vilitatis tuæ, coram hac supremâ Reginâ. Tertiò, spera, B. Virginem, quæ Deum effecit fratrem nostrum, te in filium accepturam. Quartò, gratias age B. Virgini, quia peperit nobis Redemptorem, & quia personam humanam ad infinitam diuinæ Matris dignitatem euexit. Quintò, pete à beatâ Virgine Dei Matre, vt te diuinæ voluntati obsequentem reddendo, filij sui quodammodò matrem faciat, dicente Domino: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.*

Septima pars, ORA PRO NOBIS PECCATORIBVS, NVNC, ET IN HORA MORTIS NOSTRÆ. AMEN.

Primò, adora B. Virginem, quia Patrona nostra est, quia Dei hominumque conciliatrix, quia diuinorum beneficiorum impetratrix. Secundò, dole, quia ex tantæ Reginæ patrocinio nullum tu tuâ culpâ in te auxilium
utilita-

utilitatemque deriuas. Tertiò, spera te à Deo impetraturum, quidquid, B. Virgine causam tuam agente, à Deo petieris. Quartò, gratias age B. Virgini pro diligenti curâ, quâ nos protegit. Quintò, pete à B. Virgine MARIA, vt velit in suâ clientelâ esse status omnes, Ecclesiasticos & laicos, viuos & defunctos, affines, benefactores, persecutores, denique eos omnes, qui nostras exquirunt preces: secundo pete, vt impetret nobis nostrorum errorum veniam à Deo: tertiò, diuinæ voluntati omnium hominum voluntates obsequentes reddat: quartò, vt vitæ extremo tempore præsens nobis esse velit. Dic nouies, *Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt*, &c. ad honorem nouem mensium, quibus Christum portauit; & nouem genuflexiones facias.

Visita septem templa dedicata B. Virgini.

Recita ter Aue, primum ad honorem instantis, quo sine peccato originali concepta; secundum ad honorem instantis, in quo facta est Mater Dei; tertium ad honorem illius instantis, in quo vnita fuit Filio post mortem.

Actuare se sæpè in his actibus, velle se amare B. Virginem, etiam per totum Rosarium.

Affige imagini B. Virginis chartulam, in quâ scripta sit necessitas tua, cû aliquo dono.

Ad

Ad Angelum Custodem.

ANGELE sancte, Deo dilecte, qui me tuæ beatæ curæ ab ortu meo commissum, perpetuò protegis, illuminas, regis: ego te Patronum veneror, custodem amo, tuæque me deuotioni subijcio, ac prorsus trado gubernandum. A te ergo per IESVM CHRISTVM peto suppliciter, vt me, quamuis ingratum, & contra tua monita agentem, ne deseras: sed benignus errantem dirigas, ignorantem erudias, iacentem erigas, afflictum soleris, periclitantem liberares, donec in cælum ad æternam felicitatem perducas. Amen.

FINIS.



SVM-

S V M M A R I V M
R E R V M
P R Æ C I P V A R V M
Q V Æ
I N P A R T E Q V A L I B E T
H V I V S V I T Æ
C O N T I N E N T V R .

P *Actis Mutij Vitellesci Praepositi Generalis Societatis IESV de Ioanne testimonium.*

Litteræ P. Virgilij Ceparij Societatis IESV ad Reuerendos Patres Fratresque Flandro-Belgas eiusdem Societatis, quibus mentem suam explicat, Operisque argumentum.

P A R S P R I M A .

Patria & natalis Ioannis.
Baptismus.
Nominis occasio. } pag. 1

Qui qualesque parentes.
Quot fratres habuerit.
Mater eius septennio agra.
Pater, uxore mortua, Sacris initiatur.
Indoles Ioannis infantis.
Primus pueritiæ cultus.
Sanctitatis futura argumenta. } pag. 2

Speci-

<i>Specimen sanctitatis.</i>	}	pag. 3
<i>Pietas in matrem agrotam.</i>		
<i>Forma & pudicitia concordia.</i>		
<i>Progressus in litteris.</i>	}	pag. 4
<i>Memoria felicitas.</i>		
<i>Quo contubernio altus.</i>		
<i>Obsequendi studium.</i>	}	pag. 5
<i>Amor solitudinis.</i>		
<i>Opinio sodalium de Joanne.</i>		
<i>Preparat se ad primam Communionem.</i>	}	pag. 6
<i>Mentis in Joanne puritas.</i>		
<i>Innocentiam baptismalem servat.</i>		
<i>Certa baptismalis innocentie indicia.</i>	}	pag. 7
<i>Prima Communio quantâ ab eo curâ sensuque pietatis obita.</i>		
<i>Consuetudo frequentius confitendi & communicandi.</i>		
<i>Maturitas puero ferè immatura.</i>	}	pag. 8
<i>Personas gerendi gratia in dramate.</i>		
<i>Amator pacis existit.</i>		
<i>Sociorum in Joannem amor & veneratio.</i>	}	pag. 9
<i>Religio eius singularis.</i>		
<i>Observantia erga Ordinem Sacerdotum.</i>		
<i>Libros supra mensam adhibet aviditate studiorum.</i>	}	pag. 10
<i>Solo Deo doctore scit meditari Passionem Christi.</i>		
<i>Studium orationis.</i>		
<i>Affectus in B. Virginem.</i>	}	pag. 10
<i>Obedientia & diligentia in studendo.</i>		
<i>Testimonia Moderatoris & Magistri.</i>		
<i>Multus in templo, nullus in foro.</i>	}	pag. 10
<i>Quod primum ab eo carmen compositum.</i>		
		Archi.

S V M M A R I V M

<i>Archipresbyteri Diesthemensis de Ioanne</i>	}	pag. 11
<i>testimonium.</i>		
<i>Constantia in exorando parentes cum à studijs auocare</i>	}	pag. 11
<i>volentes.</i>		
<i>Canonico ministrat ad studiorum sumptus</i>	}	pag. 12
<i>subleuandos.</i>		
<i>Rhetoricam audit in Collegio Mechlinien-</i>	}	pag. 12
<i>si Soc. IESV.</i>		
<i>Vigilia eius inter studendum.</i>	}	pag. 13
<i>Morum suauitas Nobilium ei amorem</i>		
<i>conciliat.</i>	}	pag. 13
<i>Patienter fert iniurias.</i>		
<i>Procurat se referri in album Sodalitij</i>	}	pag. 13
<i>Mariani.</i>		
<i>Complures in eundem cœtum addu-</i>	}	pag. 14
<i>cit.</i>		
<i>Obsequia B. Virgini ab eo exhibita.</i>	}	pag. 14
<i>Varia pietatis eius exercitia.</i>		
<i>Orationi deditus.</i>	}	pag. 15
<i>Celandæ virtutis inuentum.</i>		
<i>Opinio sanctitatis eius.</i>	}	pag. 15
<i>Obediendi mira promptitudo.</i>		
<i>Iter longum nullo sumptu à ieiuno con-</i>	}	pag. 16
<i>fectum.</i>		
<i>Fructum capit è re qualibet.</i>	}	pag. 16
<i>A venatico cane obedientiam discit.</i>		
<i>Angelus tutelaris Ioannis alijs quoque præsto est eius</i>	}	pag. 17
<i>nomine innocatus.</i>		
<i>A Deo ad Religiosam vitam inuitatur.</i>	}	pag. 18
<i>Morem gerit vocanti Deo.</i>		
<i>Ratio deprehendenda diuina voluntatis</i>	}	pag. 18
<i>ab eo instituta.</i>		

Quibus

RERVM PRÆCIPVARVM.

Quibus incitamentis ad Societatem inui- tatus.	}	pag. 19
Votum concipit ingrediendi Societatem.		
Ratio conseruanda vocationis ab eo in- stituta.	}	pag. 20
Parentibus propositum suum indicat.		
Moror parentum & machine.	}	pag. 21
A Religiosis super vocatione interroga- tur.		
A quodam Religioso tentatur molestius.	}	pag. 22
Ingreditur Tyrocinium Societatis.		
Primus è Scholis Meckliniensibus in So- cietatem admittitur.	}	pag. 23
Statim humilitatis exercitijs se dedit.		
Internam animi eius gaudium.	}	pag. 23
Virtus eius se prodit.		
Novitijs ceteris præficitur.	}	pag. 24
Omnibus in præfecturâ charus, gravis ne- mini.		
Idem omnium de eius virtutibus iudi- cium.	}	pag. 25
Perpetua oris hilaritas.		
Gaudet mortificationibus.	}	pag. 25
Rogat suas sibi culpas indicari.		
Observari se facit aliorum oculis, ut suos neos cognoscat.	}	pag. 26
Gratiam monitori reddit pro admonitio- nis curâ.		
Nulla in eo culpa inuenta.	}	pag. 26
Nulla in eo virtus desiderata.		
Deum presentem semper habet.	}	pag. 26
Nihil umquam ad Superiorem defert, ni- si prius consulto Deo.		

T

Socio-

S V M M A R I V M

<i>Sociorum culpam suo supplicio deprecatur.</i>	}	pag. 27
<i>Multus est in salutando S.S. Eucharistiae Sacramento.</i>		
<i>Orantis qualis compositio.</i>	}	pag. 28
<i>Quantus in orando fervor.</i>		
<i>Numquam matutinam, dum valeret, orationem aut intermisit, aut alieno tempore fecit.</i>	}	pag. 28
<i>Quas res sibi sociisque à Deo flagitaret.</i>		
<i>Quanta illi cum Deo familiaritas.</i>	}	pag. 29
<i>Vota post primum annum Novitiatu privatim nuncupat.</i>		
<i>Deo virginitatem à puero consecrat.</i>	}	pag. 29
<i>Socios ad B. Virginis & S. Iosephi cultum pertrahit.</i>		
<i>Eius internum animi gaudium.</i>	}	pag. 30
<i>Sanctorum opem adhibet ad agendas pro se gratias Deo.</i>		
<i>Expers est vana gloria.</i>	}	pag. 30
<i>Amans obedientia.</i>		
<i>Obediendum non timore, sed amore virtutis.</i>	}	pag. 30
<i>Reipsa ostendit, quo modo obediendum esse existimaret.</i>		
<i>Silentij lex quomodo ab eo servata.</i>	}	pag. 31
<i>Consuetudo salutandi Angelos occurrentium.</i>		
<i>Admiranda castitas.</i>	}	pag. 31
<i>Severa sui custodia.</i>		
<i>Religiosè ad somnum se componit.</i>	}	Studium
<i>Quibus cum vitijs Religioso pugnandum.</i>		

Studium

RERVM PRÆCIPVARVM.

<i>Studium rerum bene gerendarum.</i>	}	pag. 32
<i>Quanta in cibo potuque abſtinentia,</i>		
<i>Ratio diſcende temperantia.</i>	}	pag. 33
<i>De ſomnolentiâ triumphat.</i>		
<i>Fructus colloquij poſt prandium & cœ-</i> <i>nam.</i>		
<i>Chinas adire optat.</i>	}	pag. 34
<i>Vi pluribus ad ſalutem proſit, Gallicam</i> <i>linguam diſcit.</i>		
<i>Contentio in concionando.</i>	}	pag. 35
<i>Catechiſmi explicandi gratia ſingularis.</i>		
<i>Zelus animarum in Joanne.</i>		
<i>Novitium in propoſito nutantem firmat.</i>	}	pag. 35
<i>Studium ſoluendi ſuffragia pro mor-</i> <i>tuis.</i>		
<i>Biennium Tyrociniſ conſicit.</i>	}	pag. 36
<i>Magna de eo virtutum opinio.</i>		
<i>Aſpectu ſuo ad virtutem inuitat.</i>		
<i>Ad pronuntianda Religionis vota ad-</i> <i>mittitur.</i>	}	pag. 36
<i>Patris iam Sacerdotis Sacra pro ſe po-</i> <i>ſtulat.</i>		
<i>Ritè preparatus vota nuncupat.</i>	}	pag. 37
<i>Quanta eius cum Deo coniunctio.</i>		
<i>Teſtimonium de eo Magiſtri Nonitio-</i> <i>rum.</i>	}	pag. 38
<i>Quâ fide hæc Vita ſcripta.</i>		
<i>Alterum de Ioanne teſtimonium eiſdem</i> <i>Magiſtri Nonitiorum.</i>		

P A R S S E C V N D A.

<i>Moritur pater Ioannis.</i>	pag. 44
<i>Romam à Belgio Ioannes proficiscitur,</i>	} pag. 45
<i>Quantum duxerit beneficium Romae studere posse.</i>	
<i>In itinere suo apud omnes bonum odorem reliquit.</i>	} pag. 46
<i>Reliquias B. Aloysij sibi datas honorat.</i>	
<i>Orantis habitus ac religio.</i>	} pag. 47
<i>Romam cum socio attingit.</i>	
<i>Inter novos collegas separato contubernio adscribitur.</i>	} pag. 48
<i>Ioannis taciturnitas non minuit amorem,</i>	
<i>nec hilaritas seueritatem.</i>	} pag. 49
<i>Perfectio eius in communi vita.</i>	
<i>Perfectio in quolibet eius opere.</i>	} pag. 50
<i>Quam leues in Ioanne residebant culpa.</i>	
<i>Quae caussa tam eximia de Ioanne opinionis.</i>	} pag. 51
<i>Nulla umquam vel leuis culpa in eo deprehensa.</i>	
<i>Testimonium de eo Confessarij ipsius P. Io. Baptistae Ceccotti.</i>	pag. 54
<i>Testimonium P. Ioannis Massucci Praefecti spiritus, & Collegio Rom. à Confessionibus.</i>	pag. 57
<i>Testimonium Magistri ipsius.</i>	pag. 61
<i>Quâ viâ ad perfectionem contenderit.</i>	pag. 63
<i>Propositum numquam venialiter peccandi, aut Regulam ullam violandi scienter.</i>	pag. 64
<i>Propositorum fuit tenax.</i>	} pag. 65
<i>Testimonium de Ioanne Patris Ministri</i>	
	Colle-

RERVM PRÆCIPVARVM.

Collegij Romani.	
Testimonium P. Thomæ Bisdomini.	
Eius in contubernio separato observantia.	pag. 66
Quis existat fructus e pœnis obitis, quas Superiores in- iunxere.	pag. 67
Mira legum observatio.	
Insigne observantia exemplum.	} pag. 68
Consilium observantia servanda.	
Observantissimus omnium legum ac iussionum.	
pag. 69	
Odi per privilegia legibus eximi.	pag. 70
Amor Regularum.	pag. 71
Eius in victu ratio.	pag. 73
Iudicium eius de custodiâ oculorum.	
Virorum iuxta ac mulierum aspectu se abstinet.	} pag. 74
Rerum novarum aspectum vitat.	
Quo corporis habitu oravit in templo.	pag. 77
Modestia Joannis.	pag. 78
Modestiam desinit.	pag. 79
Nimiam aliorum familiaritatem vitat.	pag. 81
Tentationum contra puritatem tam animo quam cor- pore expers.	pag. 83
Cardinalis Bellarmini de illo Joannis privilegio excla- matio.	pag. 86. & 88
Aspectus Joannis alijs ad castitatem stimulus est.	
pag. 88	
Innocantibus se castitatis se custodem præbet.	
pag. 89	
A melancholiâ fuit immunis.	pag. 92
Eius mores.	pag. 93
Vivendi ordo.	} pag. 94.
Nullum perdit tempus.	

S V M M A R I V M

<i>Prouisas habebat actiones suas omnes.</i>	} pag. 95
<i>Extemporalia quoque reuocat ad certum tempus.</i>	
<i>Custos lingua sue.</i>	} pag. 96
<i>In silentio constans.</i>	
<i>Colloquia eius inter recreationem sancta.</i>	pag. 98
<i>Industria ad comparandam copiam sanctioris sermonis.</i>	} pag. 100
<i>Instituta ab eo. Academia bonorum colloquiorum.</i>	
<i>Studium legendi libros instituti proprii.</i>	pag. 102
<i>Numquam in omni vita intermisit vllum conscientie examen.</i>	pag. 104
<i>Numquam scrupulorum molestijs agitatus fuit.</i>	pag. 106
<i>Diei unius per singulos menses collectionem instituit.</i>	pag. 107
<i>Summa eius de Societate existimatio.</i>	pag. 108.
	& 118
<i>Honorifice de omnibus Religiosis Ordinibus loquitur.</i>	} pag. 109
<i>Veneratur omnes promiscue viros Religiosos.</i>	
<i>Eius amor in Societatem IESV.</i>	} pag. 110
<i>Exosculatur status sui vestem.</i>	
<i>Amabat venerabaturque homines omnes Societatis.</i>	pag. 111
<i>Amor quem externis Socijs deferebat.</i>	pag. 112
<i>Amor quo erga Coadiutores afficiebatur.</i>	pag. 113
<i>Eius in egros & infirmos affectus.</i>	pag. 114
<i>Ad comitandum alios promptissimus.</i>	pag. 116
<i>Remedium adfert cuidam de vocatione sua deserenda cogitanti.</i>	pag. 117
	Singu-

RERVM PRÆCIPVARVM.

<i>Singularitatis vitium odit.</i>	
<i>Communi se colloquio subducere, Ioanni</i>	} pag. 120
<i>singularitatis indicium est.</i>	
<i>Omnibus se accommodat, etiam in lusu.</i>	pag. 122
<i>Quo erga Praeceptores suos fuerit animo.</i>	pag. 123
<i>Quomodo & quo affectu studijs se applicarit.</i>	pag. 125
<i>Quomodo intra cubiculum suum se gesserit.</i>	pag. 126.
<i>& 137</i>	
<i>Quâ modestiâ Magistri sui cubiculum accesserit.</i>	
<i>pag. 127</i>	
<i>Ad scholas quomodo iuerit.</i>	pag. 128
<i>Examinatur in Philosophicis.</i>	pag. 130
<i>Quomodo se ad tuendas Philosophia quaestiones com-</i>	
<i>pararit.</i>	pag. 132
<i>Reuerentia Ioannis erga Superiores.</i>	
<i>Trium rerum rationem reddit quibusque</i>	} pag. 133
<i>hebdomadis.</i>	
<i>Tribus praecipue fruitor solatijs.</i>	
<i>Quanta fuerit obedientia.</i>	pag. 134
<i>Gaudet in plateis & foris Catechesim do-</i>	
<i>care.</i>	} pag. 135
<i>Fiducia eius in B. Virginem.</i>	
<i>Miro modo petulantissimos quosdam in</i>	
<i>melius commutat.</i>	} pag. 136
<i>Domesticis seruitijs erudiendis praefici-</i>	
<i>tur.</i>	
<i>Charitatis studium in alieno cubiculo pra-</i>	
<i>parando.</i>	} pag. 137
<i>Amor solitudinis sollicitudine sanctâ</i>	
<i>mixtus.</i>	
<i>Benevolentia spontanea studiosissimus.</i>	
<i>Quanta cubiculi eius paupertas.</i>	} pag. 138
<i>Rebus omnibus se spoliât.</i>	

S V M M A R I V M

<i>Non rebus modò, sed & affectu rerum se exiit.</i>	} pag. 139
<i>Paupertatis Religiose amantissimus.</i>	
<i>Oratorij eius paupertas.</i>	pag. 140
<i>Cura nitorque supellectilis conseruande.</i>	pag. 141
<i>Vilissimis officijs delectatur.</i>	pag. 142
<i>Eius publica in triclinio demissionis exercitia.</i>	pag. 143
<i>Omnes demisse honorat.</i>	pag. 145
<i>De eius studio spiritualium rerum.</i>	
<i>Quantum libris sacris legendis temporis impenderit.</i>	} pag. 147
<i>Quid faceret consurgens lectulo.</i>	pag. 150
<i>Matutina eius commentatio.</i>	pag. 151
<i>Lumina, caelestesque consolationes, quas orando percipiebat.</i>	pag. 152
<i>Ariditas spiritus & mceror, quem nonnumquam patiebatur.</i>	pag. 153
<i>Interna animi eius pax.</i>	
<i>Vota saepe instaurat.</i>	
<i>Religio & amor eius erga SS. Eucharistiae mysterium.</i>	} pag. 154
<i>Apparatus ad sacram Synaxim.</i>	
<i>Aedes sacras obit.</i>	} pag. 156
<i>Amor eius in B. Virginem.</i>	
<i>Religio erga alios Calites.</i>	pag. 163
<i>Speciatim B. Aloysio est deuotus.</i>	pag. 164
<i>Mortis suae instantis indicium capit ex sententia subscripta icuncula Sancti ruelaris, quam in mensura suffragiorum distributione sortitò obtinuit.</i>	pag. 168
<i>Incipit egrotare, & morbum celat.</i>	pag. 170

PARS

P A R S T E R T I A.

140	<i>Febri corripitur.</i>	pag. 171
141	<i>In valetudinarium concedit.</i>	} pag. 172
142	<i>Lectulo deponitur.</i>	
143	<i>Admonet periculi inuisentes.</i>	
145	<i>Morbus ingrauescit.</i>	} pag. 173
	<i>Valetudinarij moribus paret.</i>	
147	<i>Rectori an ad mortem paratus sit ro-</i>	} pag. 174
	<i>ganti, quid responderit.</i>	
150	<i>Rector valetudini eius metuit.</i>	} pag. 175
151	<i>Egrorum curator eum de Viatico ad-</i>	
	<i>monet.</i>	
152	<i>Ioannis letitia audito mortis nuntio.</i>	} pag. 176
153	<i>Colloquium eius cum Christo.</i>	
	<i>Dictat schedium Rectori porrigendum.</i>	pag. 176
	<i>Communis mœror super instanti Ioannis morte.</i>	pag. 178
154	<i>P. Rector SS. Viaticum ei prebet.</i>	pag. 179
	<i>A R. P. Præposito Generali inuisitur.</i>	pag. 183
	<i>Morbus corpori eius, sed non animo quietem adime-</i>	} pag. 184
	<i>bat.</i>	
	<i>Visitantium eum concursus.</i>	pag. 187
163	<i>De eius virtute opinio Illustrissimi An-</i>	} pag. 188
164	<i>geli Casti.</i>	
	<i>De morbo eius iudicium Doctoris Fi-</i>	} pag. 189.
	<i>landri.</i>	
	<i>Moriturus tria plerisque commendat.</i>	} pag. 191
	<i>Prinata quibusdam dat documenta.</i>	
170	<i>Aperitè mortis sue tempus præsignat.</i>	pag. 191
	<i>Sacerdotes multi genibus flexis benedi-</i>	} pag. 192
	<i>ctionem eius flagitant.</i>	

S V M M A R I V M

<i>Armatus est aduersus tentationum as-</i>	}	pag. 195
<i>sultus.</i>		
<i>Predicit loquentem se esse moriturum.</i>	}	pag. 196
<i>Ante mortem cantat.</i>		
<i>A diabolo tentatur.</i>		pag. 199
<i>Loquendi vsum amittit.</i>		
<i>Eundem recuperat.</i>	}	pag. 200
<i>Denuò à diabolo tentatur.</i>		
<i>Moritur.</i>	}	pag. 203
<i>Ioannis statura & forma.</i>		
<i>Supellex eius pro reliquijs abripitur.</i>		pag. 205
<i>Professores in Scholis obitus eius signo</i>	}	pag. 206
<i>audito, lacrymantur, eiusque in lau-</i>		
<i>des, lectione intermissa, se effundunt.</i>		
<i>Testimonium de Ioanne Patris Iacobi</i>	}	pag. 208
<i>Secci.</i>		
<i>Fama sanctæ eius mortis per Urbem ce-</i>	}	pag. 210
<i>lebratur.</i>		
<i>Cardinalis Bellarminus dolet se morienti</i>	}	pag. 211
<i>Ioanni non adfuisse.</i>		
<i>Flosculi, qui corpori eius aspersi erant,</i>	}	pag. 212
<i>auferuntur.</i>		
<i>Dum exequia celebrantur, magnus fit</i>	}	pag. 213
<i>populi concursus.</i>		
<i>A varijs corpus deuotionis ergò contrectatur.</i>		pag. 214
<i>In dissecto corpore nihil fellis reperitur.</i>		
<i>Non tantum vestium, sed & corporis</i>	}	pag. 214
<i>eius partes ressecantur.</i>		
<i>Tumulus eius visitantium honorantium-</i>	}	pag. 214
<i>que concursu frequentatur.</i>		
<i>Donaria ex voto ad tumulū adferuntur.</i>	}	pag. 214
<i>Sanditatis eius fama per totam Euro-</i>		
<i>pam spargitur.</i>		

Quibus

RERVM PRÆCIPVARVM.

Quibus è rebus Ioannis sanctitas colligatur, pag.
215. 216

PARS QVARTA.

Egregium testimonium P. Cornelij Cornelij à Lapide
de Joanne. pag. 217

Collectio variarum rerum spiritualium
à Ioanne ad sui utilitatem Latine con-
scriptarum, quæ vsui esse possunt etiam
alijs. } pag. 225

Oratio quam solitus erat recitare, & va-
cabat Orationem Congregationis. }

Diarium, quod sibi Ioannes in Nouitiatu collegit, ac
seruandum conscripsit in Belgio. pag. 226

Alia quedam ab eodem Ioanne Roma
conscripta. } pag. 231

Inciumenta ad orandum.

Modus bene transigendi mediam horam primam ma-
tutinam. pag. 232

Meditatio matutina. pag. 234

Modus audiendi Missæ Sacrificium. pag. 235

Modus accedendi ad sacram Communionem. pag. 237

Modus confitendi. pag. 239

Modus impendendi quadrantem post examen vesperi.
pag. 240

Modus pro reliquis actionibus. pag. 241

De emendatione vite.

Ad extirpandas radices peccatorum in
communi. } pag. 242

Motiuæ ad tollendam superbiam. } pag. 243

Pro humilitate contra superbiam. }

Emendatio actionum in communi. pag. 246
Examen

SVMMARIVM RERVM PRÆCIPVARVM.

- Examen particulare de charitate proximi.*
- Bonus Scholasticus Societatis IESV, in ordine ad Deum, ad studia, & ad alios.* } pag. 247.
248. & 249
- Quaedam placita & decreta moralia, qua sibi conscripsit Ioannes ultimo anno vite sue.* pag. 249
- Miscellanea quæ sibi observanda præscripsit; Religiosis omnibus utilia.* pag. 253
- Colloquia spiritualia diei vineæ.* pag. 265
- Humilitatis definitio, actus, motiva, media, exempla.* pag. 265. & seqq.
- Patientiæ definitio, actus, motiva, media, exempla.* pag. 267. & seqq.
- Corona stellarum duodecim B. MARIÆ Virginis.* pag. 269. & seqq.
- Modus recitandæ Salutationis Angelicæ ex secundo modo orandi beati Patris Ignatii.* pag. 279
- Oratio ad Angelum Custodem.* pag. 285



249
253
265
279
285

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI IV. Hispaniarum & India-
rum Regis Catholici ac Potentissimi
Belgarum Principis Priuilegio cautum est,
nequis *Vitam Ioannis Berchmanni Flandro-
Belgæ Religiosi Societatis IESV, Italicè scriptam
à P. Virgilio Ceparo, Latinè redditam à Pa-
tre Hermanno Hugone, utroque Societatis IESV
Sacerdote, præter Balthasaris Moreti volun-
tatem vlllo modo intra sexennium impri-
mat, aut alibi terrarum impressam in Ger-
maniæ Inferioris ditones importet, vena-
lémve habeat. Qui secùs faxit, confiscatio-
ne Librorum, & aliâ graui poenâ mulctabi-
tur, vti latius patet in litteris datis Bruxellæ
XIX. Iunij M. DC. XXIX.*


Signat.


Steenhuysse.


ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.


M. DC. XXX.
















Th
2685

